~~Bast.~~
~~2.9 ib.a~~

Rétk. I.
840.
1. péld.
(Teljes.)

840

RMK I:840.

ABRAHAMI SCULTETI
Grûnebergensis Silesii

AXIOMATA CONCIONANDI PRACTICA,

Edita

Studio & Operâ

M. CHRISTIANI KYFERTI
Goldbergensis Silesii.

VARADINI,
Apud ABRAHAMUM SZENCIENSEM.
cIↃ IↃC L.

A M. N. MUZEUM KÖNYVTÁRA
HORVÁT ISTVÁN KÖNYVTÁRA

Eximiis JESU CHRISTI ſervis, Eccleſiarum Orthodoxarum in Ungaria & Tranſylvania Paſtoribus vigilantiſsimis, fautoribus & amicis plurimùm colendis S.

NVlla mihi alia hæc Axiomata Concionandi Practica, ut & inſequentes Sacrarum Concionum Methodos recudendi ratio, quàm amicis gratificandi, & Sacri Miniſterii Candidatos demerendi ac juvandi ſtudium. Itaq; tenuem hunc meum conatum æqui boniq; conſulite; Si Deus & vita velint, audebo

majora, ubi conamen meum Vestri Favoris benignâ aurâ sublevari sensero. Interea DEUM OPT. MAX. *supplex venerabor, ut Vobis largiatur spiritualem sapientiã: ovibus vestris aures ad audiendum, cor ad intelligendum, pedes ad ambulandum in viis Domini concedat: vestris deniq; sanctis laboribus, quàm cumulatissimè benedicat.* Varadini 2. Maji, 1650.

A.M.N.M.I.E.T.M. KÖNYVTÁRA

TYPOGR.

AXIO-

AXIOMATA CONCIONANDI.

I.

Finis Concionatoris est, ut perspicuè doceat: piè oblectet: acriter flectat auditores.

Primum semper necessarium. Prima igitur curaerit Concionatoris, ut doceat perspicuè. Quemadmodum enim in Scholis priùs discendum est, quomodo loquaris grammaticè, quàm quomodo eleganter: ita Ecclesiastes futurus priùs de eo sit solicitus, quomodo perspicuè suos doceat, quàm quomodo eos oblectet & flectat.

II.

Perspicuè docebit: si thema propositum prudenter tractârit, & convenienter elocutus fuerit.

III.

Prudenter tractabit thema:

Si scopum ejus probè considerârit, propositionem ex scopo ritè constituerit.

Propositionem constitutam declarârit, demonstrârit, illustrârit, applicârit.

Deniq; si viam sibi ad tractationem in Exordio præparaverit, & tractationem ipsam Peroratione concinnâ concluserit.

Hæ sunt perpetuæ tractandi quodvis thema leges: sive illud ad genus Didascalicum, sive Demonstrativum, sive Deliberativum, &c. pertineat. Errant igitur, qui in diversis Causarũ generibus diversis quoque methodis utendum esse putant. Variatio nulla est nisi in applicatione.

IV.

Scopum textûs propositi vel antecedentia, vel consequentia, vel ipsius textûs circumstantiæ ostendunt.

Scopus parabolæ de Publicano & Pharisæo ex antecedentibus patet: *Dixit ad quosdam, qui sibi persuaserant, se justos esse, &c.*

Scopus miraculi in nuptiis Cananæis ex consequentibus patet: *Et manifestam fecit gloriam suam.*

Scopus miraculosæ capturæ piscium, Luc. 15. innuitur his Christi verbis: *Ne metue: posthac vivos homines capies.*

Ex textu ipso dignoscitur scopus, cùm in illo vel suadetur vel dissuadetur aliquid, cùm vel preces funduntur, vel gratiarum actiones, &c.

V.

Cognito scopo, maxima, minima, medioxuma in tota tractatione ad eum sunt dirigenda. Quod ut commodè fieri possit, ipso è scopo propositio constituenda est.

Illustre exemplum epistola ad Hebreos suppeditat: in qua Apostoli scopus est hortari Hebræos, ut constanter in agnita Euangelii veritate perseverent, nec ad Judæorum ceremonias legales redeant.

Hunc urget per totam epistolam: útque id commodè facere possit, ex scopo hoc hanc sibi propositionem figit:

Soli Christo obediendum, nec revertendum ad cultum Judæorum ceremonialem.

Cousas adfert:

Quia contemtum Filii Deus punituru sit.

Quia Christus meruerit hoc sacrificio suo, ut ipsum redamemus: cùm nullæ ceremoniæ liberare nos potuerint.

Hinc sæpiùs repetit id quod inculcatum Hebræis voluit: perseverandum esse, nec postliminio ad Judaismum recurrendum.

VI.

PROPOSITIO debet esse aridissima, hoc est, nullâ verborum aut rerum copiâ ornata.

Ratio:

Quia nisi hæc benè ab auditore fuerit comprehensa, reliqua omnia in aërem à concionatore dicentur.

Peccant

Peccant igitur, tùm qui propositionem tropicè efferunt, tùm qui in propositione rei ipsius propemodum tractationem instituùt.

VII.

Omnis propositio debet cum textu reciprocari.

Sensus est: Cum genus sit essentiale suis partibus, propositio autem sit instar generis, ita illa ambitu suo totum textum complecti debet, ut nulla textûs particula sit, quæ non in propositione contineatur.

Errant igitur, qui extra constitutos propositionis cancellos evagantur. Ut si quis proposuerit sibi dicere de Ascensione Christi in cœlos, & postea disserat de ejus ad dextram Patris sessione, de qua in propositione verbum nullum fecerat, quod necesse erat facere: cùm articuli hi sint distincti.

VIII.

Propositio ex ipsis textûs visceribus rectè consideratis optimè reperitur, una vel plures, prout textus unam aut plures propositiones atq; partes obtulerit.

Non igitur per locos communes propositiones sunt formandæ, sed ex ipso textu: siquidem loci communes naturæ ordine, textu sunt posteriores, quippe ex illo eruendi.

Prolepsis.

Sed contra quidam disputant:

Propositionem immediatè fidei & vitæ auditorum informationem spectare: itaque in ipsa propositione ostendendum, quid fidei augendæ, & quid vitæ ipsorum emendandæ inserviat: ne auditor à se derivet, quod in aliorum personis proponitur.

Deinde locos communes confirmari rationibus, non divisionem ex textu productam.

Postremò, si secus fiat, duplicem aut triplicem in una oratione admittendam esse narrationem & confirmationem.

Solutio Plolepseos.

Sed nullius ponderis sunt rationes istæ. Nam prima sumit, quod à nemine conceditur: propositionem immediatè fidei & vitæ informationem spectare.

Animus dicentis hoc immediatè spectat: sed assequi id nequit, nisi interveniente explicatione textûs, quæ cum necessariò præcedat, utique loci doctrinarum subsequuntur necesse est. Nec periculum est, ne auditor à se derivet, quod in aliorum personis proponitur.

ponitur. Idcirco enim textus sacri explicantur, ut aliorum exempla & facta ad auditorum præsentem usum accommodentur.

Quod ajunt: Locos communes confirmari, non textum, falsissimum est. Nam expositio textûs quid aliud est, quàm ejus confirmatio? Et doctrinæ erutæ robur suum habent à textu explicato: ut raro necessum sit aliunde eas demonstrare: nisi Ecclesiastæ libeat excurrere, & de loco aliquo latiùs differere.

Neque verò absurdum est, ut porrò illi putant, si textus in duas aut tres partes fuerit distributus, quámque illarum suo ordine & loco exponi & declarari, & suam quodammodo narrationem & confirmationem habere.

Sunt qui distinctione controversiam hanc dirimendam censent: & hi, si textus sit theticus, seu generalis, qualia sunt Scripturæ dicta pleraque, theticam etiam propositionem formandam, sin hypotheticus seu historicus, propositionem etiam singularem instituendam docent.

Sed hæc distinctio fundamento nullo nititur, & reclamat praxis. Nam si mihi explicandum sit dictum Christi, Matth. 11. *Venite ad me omnes, &c.* utique non locum communem proponam: sed dicam, partes concionis duas esse:

1. Hortationem ad fidem, & ejus causam.
2. Hortationem ad obedientiam, & ejus causam.

Contrà possum etiam in historico textu theticas partes formare, verbi gratiâ:

Dominicâ 14. Trinit.

Quodnam sit Christianismi { initium, incrementum, complementum.

Quid ergo? dicam, quid longo multorum annorum usu observarim.

Axiomatis nostri veritas est illa quidem immota, valdéque in Logicam peccant, qui propositionis locum ipsas doctrinas semper obtinere volunt: sed incidunt sæpe ea tempora, ut concionatori dispiciendum sit, non quàm artificiosè, sed quàm fructuosè doceat, atque ibi tum arbitratu suo deligit sibi, quos populo utiles fore scit locos, & in eorum explicatione immoratur. Id quod est prudentiæ in Ecclesiaste. Nam regulæ artium non sunt leges in æs incisæ, quæ non possint aut debeant nonnunquã prudenter violari.

E.g. Textus Dom. 5. Tr. secundũ artem tribuitur in has partes:

in

in antecedentia,
in miraculum ipsum,
in consequentia.

Sed ex eodem textu utiliter populo possunt proponi regulæ aliquot ditescendi.

Manent regulæ stante crypsi.

IX.

Partitio sit duorum aut trium, aut ad summum quatuor membrorum.

Ratio est:

Quia partium turba obscurat res, & memoriæ officit tum dicentis, tum audientis.

X.

Membra illa aut in textu ipso sunt discreta: quam discretionem sola textûs perlectio ostendit: aut judicio Ecclesiastæ discernenda.

Quod tum fit feliciter, cum quæ ratione materiæ conjuncta sunt, conjunctim; quæ verò distincta, distinctè proponit, & quæ ad unum commune genus revocari possunt, uno velati complexu comprehendit Ecclesiastes.

Exempli gratiâ: 1.Cor.15. partes duas esse inspectio textûs indicat: unam de certitudine resurrectionis nostræ: alteram de qualitate corporum glorificatorum.

Psal. 77. 1. typus cordis afflicti.
2. evasio ex afflictione.

Sic Dominicalis textus 13.Trin. duas distinctas habet historias.

Atque hujus partitionis inventio longè est facilima: alterius non item. Requirit enim judicium Logicum: & diligentem totius textûs meditationem.

Verbi gratiâ: Capitis 56. Esaiæ partes duæ sunt:

1. Exhortatio ad bona opera, quæ describuntur.
2. Argumenta, quibus exstimulat ad bona opera.

Sunt quidem ista confusa in textu, sed judicio docentis ita digerenda, ut quæ sunt hortatoria, & describunt bona opera, primum ad caput, argumenta ad secundum referantur.

XI.

Membra propositionis ita digerenda sunt: ut prior pars quasi gradum præbeat sequenti, & sic secunda tertiæ, tertia quartæ.

Ut: Dominicâ Vocem jucunditatis tractari potest orationis
initium,
progressus,
finis.

Dominicâ 21. Trinitatis.

Quomodo fides { accendatur, probetur, vincat omnes tentationes.

XII.

Partitioni subjicitur nonnunquã invocatio numinis: cùm de re ardua agimus, quæ vel populo persuadenda est, vel ad Dei amorem animos inflammare debet, vel cùm occurrit locus explicatu difficilior.

Sic disserturus de gravi aliquo articulo, oret: Dominus Deus, qui timentibus se promisit se revelaturum mysteria sua, illuminet hodie intellectum nostrum, ut percipere arcana ista, & agnituri illum ardentiùs diligere possimus.

XIII.

Partes quo propositæ sunt ordine pertractentur.

XIV.

Textûs cujusq; partis lectio semper præcedat tractationem: ut auditor sciat, quid de quo dicatur.

(Bucanus nominat narrationem).

XV.

Textus tardiusculè pronuncietur, ut evidens discrimen appareat inter recitationem textûs, & ejus intepretationem.

XVI.

Tractationis textûs prima semper pars est DECLARATIO, *sive expositio.*

XVII.

Expositio pro varietate textuum varia & ipsa est. Nam in hi-

in historiis & facilioribus textibus sola paraphrasis necessaria est. Interdum obscuritas est vel in subjecto, vel in prædicato, vel in utroque propositi thematis, vel in ipso modo loquendi, & tum illa est expedienda, concludendaque expositio paraphrasi: ut dicamus: sensus igitur est.

Exempla:

In explicatione Psal. 5. ℣. 1. & 2. ubi est petitio, facilia omnia sunt: tantùm brevi paraphrasi, aut potiùs verborum duntaxat commutatione idem exprimo.

Aliud in dicto:

In manus tuas commendo spiritum.

Obscuritas est in prædicato, videlicet vocabulo Spiritûs, quod hic significat animam immortalem.

Matth. 6. *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Pharisæorum &c.*

Hic obscuritas est in subjecto. Declarandum igitur quam Christus justitiam intelligat, videlicet legalem: ut sit sensus: Nisi obedieritis Dei mandatis, & ea obedientia contestati fueritis fidem, non poteritis ingredi in regnum cœlorum.

In subjecto & prædicato:

Joh. 1. *In principio erat sermo.*

Hic declarandum, quid Sermo: quid, In principio.

In phrasi sive modo loquendi:

Luc. 12. *Cingite lumbos vestros, & tædæ sint ardentes.*

Prior loquendi modus à consuetudine Orientalium: posterior à more famulorum, qui nocturno tempore dominos suos domum deducturi faces ardentes gestant.

Sic Psal. 15. *Quis commorabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in monte sancto tuo?*

Forma loquendi in Veteri Testamento usitata. Quia Deus promiserat se habitaturum in tabernaculo vel templo, in monte Moriah. Quærit igitur Propheta: quis cohabitaturus sit ibi Deo? Tabernaculum & templum fuerunt typi cæli. Idem est ergo, ac si dicam in N. T. Quis ò Deus tecum habitabit in cælo?

XVIII.

Si textui præsenti sensus affingatur ab adversario sinister, ad palliandum aut firmandum aliquem errorem: profuerit,

imò

initiò erroneam adversariorum interpretationem brevitor ac sobriè refutari, ac deinde subjungi veram. Ac tum hac aut consimili formulâ utimur: Sensus est, non, ut Pontificii volunt: quia, quia, &c. (addantur breviter rationes confutationis) sed, &c.

Ut Psal. 130. *De profundis &c.*

Sensus est, non quem de Purgatorio afferunt Pontificii: Nam Psal. 6. dicitur: *In morte quis memor tui?* Sed loquitur Propheta de calamitate profunda, cui tum immersus.

Joh. 1. *Sermo erat Deus.*

Sermo hìc non significat sonum evanescentem, néque consilium Dei, ut hæretici fingunt: sed secundam Deitatis personam, Christum. Hic sermo est Deus: non quòd sit Deus Pater, & ita Filius & Pater sint una persona, ut Sabellius voluit: nam hunc errorem Johannes ipse convellit dicens, Sermonem fuisse apud Deum, id est, Patrem. Distincti igitur. Sed Deus dicitur: quia Filius Dei est.

XIX.

Si textus præsens plures interpretationes admittat, diligenter illæ domi ponderandæ sunt, & quæ vel concionatoris, vel aliorum eruditorum judicio optima censetur, ea sola populo est proponenda.

Sæpissimè hoc fit in scriptis præsertim Propheticis, ut unius loci plures possint dari interpretationes: vel quia Hebraica vocabula sunt ambigua, ut Esaiæ 19. v. 19. *Cum veniet quasi fluvius fortis:* potest & de Deo, & de Cyro, & de hoste intelligi: vel etiam alias ob causas, de quibus alibi disseritur.

Ut Esaiæ 7. vaticinium: *Ecce virgo concipiet, &c.* alii de Christo, alii de Ezechia, alii de Esaiæ filio accipiunt. Concionator omnibus consideratis, præferet primam, in eáque sola morabitur.

XX.

Quando unius loci duæ tantùm sunt interpretationes, quarum utráque bona, & doctrinam salutarem parit, utriúsque ab Ecclesiaste mentio fieri potest: ita tamen, ut significet, quæ sit præferenda, aut si dubium, auditori judicium electionis permittat.

Ut

Ut in explicatione Psal. 41. v. 1. *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem.* Dico: Alii aliter interpretantur:

Beatus, qui prudenter judicat de afflicto, id est, qui non ut amici Jobi & Davidis, amicos in calamitatibus constituros damnant, axiomate vulgari: Bonis benè, malis malè.

Et sanè est etiam pars misericordiæ non imprudenter de afflicto judicare, sed nos generatim accipimus textum: quia sic meliùs fluit totius Psalmi expositio.

Sic Esaiæ 59. 19. verba hæc: *Cùm venerit sicut fluvius:* alii de Deo, alii de Deo interpretantur, hoc modo: Si hostis magno impetu irruet, tunc Deus ei resistet. Vel: Dominus veniet in impetu iræ suæ contra hostes. Dico igitur ad auditores: perinde est utrumcúnque sensum amplectamini: quandoquidem utérque & bonus & pulcer est.

XXI.

Si vel de vocabulo uno, vel de phrasi aliquatanta sit interpretum dissensio, ut nescias, quid tibi eligendum: cùm id nunquam occurrat in articulis fidei: optimè feceris: si acquieveris in sententia communi, quam textus indicat, etsi specialem difficultatem non possis enodare.

Esa. 22. dicitur ad Prophetam: *Vade ad istum Sochen.*

Hoc nomen alii gentilitium esse putant, quasi Sochitam dicens. Sochet autem Ægypti urbem esse volunt. Alii Præfectum thesaurarium exponunt, à Sacan, præfuit. Alii fautorem, adjutorem, hostium puta, verterunt. Dico igitur: Quicquid sit, magnæ auctoritatis fuisse in aula, ex textu patet.

XXII.

Expositio textûs allata, si necessitas postulet, statim est demonstranda.

Dico: si necessitas postulet. Nam expositiones, quæ simplici paraphrasi constant, non indigent demonstratione.

XXIII.

Demonstratio expositionis fit, vel ex textu ipso, hoc est, ejus tropo, antecedentibus, consequentibus, aliis circumstantiis: vel ex collatione aliorum Scripturæ locorum: vel ex utroque simul.

Ex

Ex textu : ut cùm Matth. 6. justitiam abundantem explico de legali justitia, sive de pietate, & nova obedientia, probo expositionem

1. à scopo illius concionis, qui est, explicare decalogum.
2. ab antecedentibus. Hortatur enim Apostolos, ut luce bonorum operum aliis præluceant.
3. à consequentibus, in quibus speciatim aliqua præcepta decalogi explicantur.

Ex collatione demonstratur, cùm vel similia verba, vel similes phrases, vel similes sententiæ conferuntur.

Ut : Esa. 9. v. 2. *Populus qui versatur in tenebris, tandem lucem magnam adspiciet.* Tenebræ hic afflictiones, lux res secundas significat : ut sit sensus : populo pridem afflicto res secundæ obvenient. Probatur, tenebras pro afflictione poni, ex Psal. 23. 4. Thren. 3. 2. & 6. Esa. 45. 7. Ubi utráque metaphora propriis verbis explicatur. *Formo lucem, & creo tenebras. Facio pacem, & creo malum.*

Ex utróque simul : Esa. 26. 19. *Mortui tui vivent, cadavera mea resurgent.* Loquitur non de resurrectione mortuorum, sed de revocatione exulum ex Babylone. Probatur

1. ex analysi. Quia confitetur Ecclesia, quid factum sit, non quid futurum, id est, refert, quæ sua Babylone consolatio fuerit.
2. ex simili loco Exech. 37. ubi Deus disertim Judæos Babylone captivos, mortuis comparat, prædicitque se suos deducturum é sepulchris.

XXIV.

Cùm textus propositus, vel fidei aliquem articulum, vel præceptum aliquod morale continet, & per se clarus est : tum non expositionis, sed thematis per se clari quoad verba, veritas demonstratur, idque per testimonia & exempla. Et tum etiam ut plurimùm locum habet illustratio per similia, comparata, & alia argumenta.

Ut : Sit tractandum 2. Paral. 33. v. 12. *Oratio humiliantis se exauditur à Deo.*

Thesis planè est : Humiliter orandum. Demonstratur per similia loca, hoc est,

Præ-

Præcepta, Esaiæ 66. 2.
Promissiones, Psal. 34.
Exempla: Abrahami, Gen. 18.
Jacobi. Gen, 32.
Davidis,
Angelorum, Esaiæ 6.
ipsius adeò Filii Dei.

Illustratur à comparatis. Principibus placet demissio: quanto magis Deo. Et rursus: Parcere subjectis scit nobilis ira leonum.

XXV.

Demonstrationem & illustrationem proximè excipit APPLICATIO: *quæ velut anima est totius concionis.*

Verè anima: Nam ut cadaver nihil vivum refert, sic concio applicatione destituta.

Itáque peccant vehementer in concionando, qui vel disputationibus, vel spinosarum quæstionum enodationibus tempus consumunt: de applcatione ne quidem soliciti sunt.

Benè Bucholzerus: *Doce primùm mentem: deinde cor erige.* Atqui id fit expositione textûs, hoc applicatione. Nunquam ergo hoc, nunquam illud omittendum.

XXVI.

Applicatio est accommodatio textûs expositi ad auditorum usum.

XXVII.

Partes ejus duæ sunt: prima, deductio alicujus loci communis ex textu exposito: secunda, ostensio usus illius loci.

Ut aliud est parare pharmacum, aliud, ostendere, quomodo & quando eo utendum sit: ita diversissima sunt duo ista: locos communes eruere ex textu explicato, & indicare germanum ejusdem usum. Id quod à paucis est animadversum.

XXVIII.

Loci communes è textu deducti huc tendunt:

Ut doceantur ignorantes:
Ut refutentur contradicentes:
Ut erigantur tristes:

Ut ex-

Ut excitentur segnes ad bona opera.

Erit igitur locus communis aut doctrina, aut confutatio, aut institutio & correctio, aut consolatio.

Pauli hoc axioma est 2. Timoth. 3. 16. *Tota scriptura divinitùs inspirata est utilis ad doctrinam* (VERI) *ad redarguitionem* (FALSI) *ad institucionem* (BONI) *& correcionem* (MALI) *& ad consolationem* (IN ADVERSIS.)

XXIX.

Eruendi sunt loci communes ii, qui à præsenti materia nō sunt alieni, sed in ea nati: nihil enim violentum gratiosum.

Præterea in quibusdam textibus quærenda sunt moralia tantum, in quibusdam tantùm confirmatio fidei & consolatio, in quibusdam utrúmque: sed tamen alterum principale est, alterum minus principale.

XXX.

Fluunt autem doctrinæ ex textu vel per se, vel per bonam consequentiam, ubi thesin ad hypothesin, vel contrà, accommodamus.

Exempli gratiâ; Domin. 5. Trinit.

Partes
- Anteced.
  - Populi fervor in audiendo Christo.
    ¶. Exoriente sole Euangelii major est fervor, quam cùm diu audivimus.
  - Christus petit navem. ¶. Humilitas Christi.
- Miraculum
  - Christus implet naves piscibus.
    ¶. Est igitur non solùm fidus doctor, sed & potens Ecclesiæ suæ defensor: quippe qui piscibus imperare potest. (Deducitur per bonam conseq.)
  - Petrus ejicit rete. ¶. Laborandum etiam iis, quos Deus miraculis suis vult beare.
  - Idq; in nomine Domini. ¶. Qui vult felix esse in sua vocatione, cynosuram sequatur verbi Dei.
- Consequentia
  - Petrus jussit Christum à se exire. ¶. Pii, quò magis à Deo honorantur, eò magis se demittunt.
  - Apostoli vocati sequuntur Christũ, & omnia relinquunt. ¶. Quoties Christus jubet, omnibus relictis ipsum sequamur.

XXXI.

Si loci communes in copia se offerunt, non simul omnes eunt excutiendi: sed deligendi sunt ii, qui cor erudiunt: & præsenti auditorio maximè sunt utiles: qui minus principales sunt, obiter tantùm inspergantur.

Ratio præcepti primi est:

Quia obruitur mens auditoris nimis nervosâ & nimis plenâ rebus concione. Itáque consilium optimum est, ut in unica re, aut certè non ita multis detineatur.

Ratio præcepti secundi est:

Quia moralia cor benè institutum, & conscientiam rectè constitutam, ultrò sequuntur.

Manus, pedes, & totum corpus faciunt officium, si cor, à quo bona & mala fluunt, priùs fuerit rectè ædificatum.

Ratio præcepti tertii est:

Quia ut in conviviis, hospitibus à nobis invitatis, de carne assâ, id quod est delicatissimum, & quod maximè arridere palato amici putamus, ei damus: ita in concione, non quidlibet quolibet tempore tractandum: sed habenda ratio eorum, qui ad spirituale epulum sunt invitati, quod maximè eorum ædificationi sit profuturum.

Exemplum præcepti quarti, Dominicâ Esto mihi.

Locus communis de mendicis tantũ uno verbo obiter tractetur. Sic Dominicâ 14. Trin. ad verba illa: *Stabant procul*; admonitio brevis fieri potest ad nostros mendicos, ne deformia sua corpora impudentiùs honestorum hominum oculis objiciant: sed quasi in transcursu, ut statim redeamus ad locos principales, in quibus nobis est habitandum.

Hæc locorum communium minus principalium inspersio sæpe fit per formulam præteritionis, hoc aut simili modo: *De erröl mulolag, sicivén fel-tött czélunkra, &c.*

XXXII.

Principales loci tractentur principaliter: minùs principales tantùm obiter & breviter inspergantur.

Exempla, ut in Dominicâ Esto mihi, & 14. Trin. de mendicis.

XXXIII.

Quin imò nec quicquid de loco aliquo communi dici potest,

test, dicendum: sed ea tantùm, ad quæ nobis textus ipse occasionem et argumenta suppeditat.

Dignissimum observatu axioma: in hoc enim ut plurimum à concionatoribus peccatur: qui in plenissimam locorum communium tractationem evagantur: quæ tractatio hòc minus movet audientem, quò minus subsidii habet à textu.

XXXIV.

Incidunt tamen ea sæpe tempora, ut loci aliqui communes principales pleniùs quàm textus postulet, sint tractandi: vel etiam principalibus missis, in minus principalibus concionatori sit immorandum. Nimirum prudentis Ecclesiastæ est, eligere & tractare locos, quos tempori & præsentibus auditoribus maximè convenire videt.

XXXV.

Quicunque verò loci communes tractantur, sive principales, sive minus principales fuerint, illi non profanis, sed sacris dictis, historiis, exemplis, & si fieri potest, etiam similibus declarari, demonstrari, illustrari debent.

(Exemplum supra axiom. XXIV.)

Ratio præcepti negati est:

Quia qui ethnicos scriptores subinde crepant, jucundi esse volunt auditoribus, utiles non item. Et nescit vulgus imperitum, quis Cicero, quis Themistocles, quis Alexander Magnus fuerit, aliique, quorum historiæ recitantur.

Ratio præcepti affirmati est:

Quia qui loquitur, loquatur ut eloquia Dei. Et scriptura sacra est veluti inexhaustum mare dictorum, historiarum, exemplorum.

In auditorio tamen literato suam nonnunquam gratiam habent profanorum scriptorum sententiæ, historiæ, exempla: quibus ipsis tamen parcè utendum.

Patrum quóque testimonia, & historiæ Ecclesiasticæ circumspectè sunt citandæ, & quidem illustrandi potiùs, quàm probandi causâ.

XXXVI.

Dicta

Dicta Scripturæ non sunt cumulanda. Quia ostentationem illa accumulatio prodit concionatoris, non parit fructum ullum auditori.

XXXVII.

Appositè autem citanda sunt omnia.

Et hæc ipsa observatio faciet, ut non cumulentur plurimi Scripturæ loci: quando rarò fit, ut plurima appositè uni & eidem rei congruant. Appositum autem est, quod facit ad præsentem instituti nostri scopum.

XXXVIII.

Omnibus dictis, quæ citas, adde QUASI DICAT, *vel* SCILICET: *si vel minima in is insit obscuritas.*

Ratio est: Quia obscurum per aliud obscurum non est interpretandum.

Exempla. Ut si in exhortatione ad sancta opera, rationis loco adducas dictum Pauli Gal 5. *Adversus hos non est lex:* adde, quasi dicat: Tales lex non condemnat.

Sic Joh. 1. *Hic est lux vera, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum.* id est, quotquot ex hominibus illuminantur, debent hoc Luci Christo.

XXXIX.

Textus Scripturæ verbotim citandus est ut plurimum: præsertim cùm emphasis aliqua est in singulis vel universis. Sed ubi sensus tantùm, aut res potiùs spectantur, quàm verba, non est quod anxius sis de verbis ipsis.

Sic historiæ sacræ non citantur ad verbum, sed libero orationis fluxu à concionatore exponuntur, retentis tantùm iis formalibus, quibus aliqua singularis vis subjecta.

Membrum axiomatis primum sua luce clarum est: alterum exemplo illustrabitur.

Si citaveris locum Esaiæ cap. 28.v.25.26. de triturationepopuli, ad verbum, nemo intelligat, quid sibi velit Propheta, sed si sensum expresseris, & ad locum Esaiæ alluseris, tum plana erit mens

Prophetæ: nempe Deum nosse modum castigandi suos, ut agricola novit tempus arandi, triturandi.

Membri tertii de historiis sacris exemplum esto historia Nathanis Davidem objurgantis propter adulterium & homicidium. In historie hujus recitatione non est quòd cõcionator se adstringat verbis, sed libertate utatur sermonis: formalia texrùs in iis usurpet, quæ principalia sunt, ut in verbis Nathanis: *Tu es vir mortis:* & Davidis: *Peccavi contra Dominum.* Rursum Nathanis: *Ergo & Deus abstulit peccata tua: non morieris.*

XL.

Hactenus generatim de locis communibus diximus, qui deligendi, quomodo tractandi. Nunc in specie de confirmatione doctrinæ veræ, & refutatione falsæ, de consolatione, de vitæ institutione.

XLI.

Dogmatum, quæ hoc tempore in controversiam vocantur, vel alioqui fundamentum salutis concernunt, confirmationi incumbendum, adhibitis formulis usitatis: Hinc colligimus: hinc videre est: Pulcrè hic textus confirmat hoc & illud.

XLII.

Confutatio omnis errorum sit moderata.

Hîc enim locum habet illud tritum:

Glimphius est plurìs quàm tota scientia juris.

Item: Lenitas vestra sit nota omnibus hominibus.

Non igitur maledicas adversariis: ne audias illud: Hic cùm causâ non possit esse superior, vult tamen superior esse convitiis.

Peccant, qui dicunt: tu es diaboli. *Nostrum est, secundùm Dei verbum pronunciare, quid verum falsúmve sit, minimè verò quemquã damnare.* Id nobis satis est. Ergò non dic: Ama' pokolra, kárhoztra való tévelygõk &c. hanem, Amaz ártalmas, szent irással ellenkezõ vélekedés, &c. Posses & illud: sed hoc mitius est: quia satis est indicasse errores, & judicium Deo commendare.

Quidam dicit: *Multi damnati surgent beati, & contrà.*

XLIII.

Confutatio ex textu elicienda est.

XLIV.

Con-

Confutator videat ne cadat suâ culpâ, si altius se justo extulerit.

XLV.

In confutando non exprimendi sunt omnes errores, nec omnia argumenta adversariorum.

Ratio præcepti est: Quia hæreses nihil aliud sunt, quàm blandimenta cordium humanorum. Itáque cavendum, ne præbeamus auditoribus simplicioribus & aliis materiam speculandi.

XLVI.

Nunquam refutentur errores & hæreses antiquæ & obsoletæ: nunquam etiam novæ, quæ quidem ecclesiæ nostræ nondum innotuerunt.

Peccant igitur, qui Marcionitas, Cerdonianos, & his consimiles confutant.

Peccant & illi: qui in ecclesiis nostris Arminianorum & aliarum novarum hæresium tetros errores conantur refellere.

XLVII.

Confutator non conetur alios cogere ad sententiam suam amplectendam: sed ubi officio suo in falsa sententia convellenda defunctus est, mittat errantes, eosq; Deo commendet.

Ratio præcepti est: Quia nostrum est docere, & confutare: Dei solius aperire corda.

A' mi Istené, nem tiéd az: Tiéd a' tanitás, Istené a' megtérités; igy szoll Abr. Bucholzerus.

XLVIII.

Omnis confutatio sit plana & perspicua, ut à simplicissimis possit intelligi.

Ratio præcepti est: Quia si adversariorum argumenta sint plana & perspicua, refutatio autem tua obscura: dubitationem injicies auditori de sententiæ tuæ veritate.

XLIX.

Artificiosum inprimis est, in ipsa confirmatione occurrere objectioni, & auditori nihil tale cogitanti errorem aliquem ex animo evellere.

Exemplum :

Multi impingunt nobis hanc blasphemiam quòd Deum causam statuamus peccati, ártque hoc inde colligunt, quòd docemus, omnia regi providentiâ Dei, & nihil vel boni vel mali fieri, nisi ipse decreverit vel facere, vel ut fiat permittere.

Quandocúnque igitur datur occasio de themate hoc disserendi, postquam firmiter demonstrasti, Deum odisse omne peccatum, & severè punire, per tacitam Prolepsin dices : Equidem verum est, Deum permittere, ut fiant peccata : sed non, quòd peccato delectetur, verùm quia etiam peccatum ad bonum potest finem dirigere ; quod nisi posset, nullum peccatum fieri sineret.

Ut ita verissimum maneat illud : Psal. 5. *Non Deus volens iniquitatem tu es.*

L.

Est & hoc prudentis confutatoris, considerare, ubi locorum doceat.

Explicatio.

Magistratus noster aut est veræ religioni addictus, aut non. Et si non, tum ipsius indulgentiæ secundùm Deum hoc acceptum ferimus, quòd nobis convenire liceat, & exercere religionem orthodoxam possimus.

Molliùs igitur tùm tractandi adversarii, sub quorum quasi tutela sedemus. Simile :

Peritus auriga, quando in via videt magnum lapidem, declinat paululùm ad dextram vel sinistram. Ni faceret, non lapidem læderet, sed illum, qui in curru sedet. Sic & nobis in refutatione adversariorum faciendum.

LI.

Consolatio adhibenda est adversus afflictiones animi & corporis.

LII.

Ratio autem consolandi duplex est : Una, quâ ostendimus, aut omninò non dolendum, aut moderatiùs esse dolendum. Altera, quâ fatemur esse justissimam causam dolendi, eùmque affectum in nos ipsos transferimus, quem alteri conamur eripere.

Ratio

Ratio posterioris consolationis :

Quia vehemens dolor respuit omnem medelam, & odit dissentientem.

Moderatiùs autem ferimus, quæ nobis sunt cum omnibus, aut cum plurimis communia : ut, Omnes morimur : plurimi ægrotant.

Item, Si non diuturna sunt mala.

Item, Si pro brevi malo diuturna voluptas sequitur.

Item, Necessitas. Aliàs conduplicatur miseria.

Item, Consueta mala patimur æquiori animo.

Item, Nihil temerè nobis accidere, sed divinitùs immitti, vel ad nos revocandos in viam correctionem, vel ad exercendam patientiam nostram : in his oportet Deo gratias agere, non murmurare : quæ nostræ imbecillitati mala videntur, sæpè bona sunt.

Item, Collatio cum aliis malis : Antea fuisti graviora passus.

Item, Cum aliorum calamitatibus.

Item, Pro causa bona aliquid est perferendum.

LIII.

Tractandæ autem sunt consolationes nunc hæ, nunc illæ, prout fert textus, & auditorum usus postulat.

LIV.

Ad bona opera excitantur segnes per locos morales è textu erutos.

Atq; hi duûm sunt generum. Ostendunt enim, aut quid faciendum, aut quid sit fugiendum.

LV.

Utrique loci firmantur argumentis vel ex textu tantùm, vel etiam aliunde, si necessitas requirat, petitis.

Ut Esa. 5. à v. 11. ad 18. est locus moralis de fugienda ebrietate.

Argumenta in textu plurima sunt, in quorum declaratione sola immorandum.

Contrà Esai. 16. ubi de Moabitarum inhumanitate & inhospitalitate legimus, à contrario doctrinam excerpimus moralem de beneficentia erga exules : argumentis aliunde adscitis.

A Dei mandato.

A ratione proximi : quia conservus.

A spe reciprocæ beneficentiæ aliorum erga nos.

LVI.

Hucusq; prima applicationis pars fuit, in electione locorum communium, & tractatione eorundem: sequitur altera, quæ est de Usu *eorundem sive praxi, quæ in omni concione urgenda: sine qua doctrina nihil aliud est, quàm idea Platonica.*

LVII.

In usu semper premenda textûs verba: ut non hominem, sed Deum loqui auditor intelligat.

LVIII.

Cavendum autem diligenter, ne quid de praxi locorum communium dicamus, quod nostram, aut aliorum etiam praxin excedat.

Multi gratiam ita extollunt, ut corda nostra ad novam obedientiam & patientiam cum gaudio quodam dicant excitari: sed ubi ad rem ventum, tum admodum tenuis est nostra nova obedientia, & patientia nostra fit insigniter impatiens.

Ergo proba te ipsum: crucem antea levem judicasti & mortem, post in ipso facto & praxi contrarium experiris.

Loquere igitur ita, ac si tu in præsentia pauper ac ægrotus esses, ne de te dicatur illud:

Qui satur est, pleno laudat jejunia ventre.

LIX.

Modus accommodandi locos communes ad usum sive praxin varius est.

Nonnunquam enim utimur Prosopopœiâ, præsertim quando exempla piorum tractamus: nonnunquam thesin ad individua transferimus.

Ut: Si nunc viveret Adam, Abraham, David, Paulus, quid esset ad te dicturus?

Certè reprehensurus diffidentiam, securitatem, inquiens: Ego coram Domino ita vixi. Noah dicturus esset: impii ita vivebant ante diluvium. David diceret ad diffidentem: debes in Deo lætari: ego etiam fui in doloribus, sed ita me erexi, &c.

Item, si jam adesset Christus, Paulus, Petrus, dicerent: O vos securi, cur ita facitis?

In sum-

In summa: In omnibus concionibus tribues persona vel rebus sermonem, quasi jam coram concionentur, doceant, consolentur, objurgent: quod sanati hortentur nos vel ad considerationem miraculi, quomodo sit confirmanda fides, vel ad imitationem sui exempli in agnoscendo peccato, & in eo deprecando.

Exemplum theseos ad individua sic habet: Quoties dictum vel exemplum citas, applica sic: Ecce ista fecit vel dixit Deus, non tantùm tunc, sed nunc quóque ad te, me, alios. Te vult ita amare: te vult ita punire. Tu es ille David, Abraham, Cain, &c.

LX.

Usus locorum dogmaticorum est in exhortatione ad constantiam in articulo fidei demonstrato, vel in dehortatione ab errore confutato. Sæpè etiam transferuntur dogmata ad usum in precibus.

Ut, Dominicâ 3. Trinit. demonstrato hoc themate: Jesum esse Messiam Patribus promissum, exhortor auditores ad perseverantiam in fide de Christo Salvatore.

Sic die Ascensionis demonstratâ veritate localis ascensionis Christi ad cœlos, dehortamur populum ab errore Ubiquitariorum, qui Christum vel disparuisse, vel ne latum quidem pilum à terra recessisse fingunt.

Sic ubi tractamus locum communem de Deitate Christi, vel S. Sancti, ostendimus doctrinæ usum in precibus, quòd sciamus nunc, quem appellare in necessitatibus nostris debeamus.

LXI.

Praxis consolationis ut frequentissima esse debet, ita si rectè instituatur, non solùm totam concionem, sed mentes etiam ipsas auditorum illustrat.

LXII.

Tum autem rectè instituetur, si consolatio omnis ad usum transfertur in precatione, cruce, tentatione, morte.

LXIII.

Partes, quibus efferenda est doctrina practica in precatione, cruce, tentatione, morte, duæ sunt, COGITATIO *&* DIALOGISMUS.

Universaliter enim doctrina primùm proponatur mente cogi-

tanda & voluntate, ut eâ se erigat homo : deinde convertatur illa cogitatio in dialogismum, doceantúrque auditores, quomodo loqui & se solari debeant.

Ut, explicans dictum, *Venite ad me omnes, &c.* Cogita quantum hoc sit, quòd Filius Dei vocat, quòd tam amanter, quòd tam benignè promittit refocillationem etiam iis, qui onerati sunt peccatis. Deinde fac dialogismum : Cùm ergo Christus tam amanter me invitet, veniam : Domine Jesu adsum : tibi patet porta cordis mei, pateat mihi porta bonitatis tuæ.

Sic ubi audis, Christum cum publicanis versatum pronunciasse, se venisse ad salvandum peccatores, dic : Non debeo ita consternari, quia scio, quòd cum publicanis Dominus Jesus versatus fuerit, & dixerit, se venisse ad salvandum peccatores.

LXIV.

Porro usus iste in precatione, cruce, tentatione, morte; ut rectè intelligatur, plenius quid de eo monendum.

Sic igitur habe:

I. Transferimus consolationem ad usum in precatione, quando monstramus, quomodo consolatio in preces mutetur.

Ut Psal. 23. petitam inde consolationem transformo in preces, hoc modo : Sis tu pastor meus, & nihil mihi deerit, pasce me, reficе me, duc me, bonitas & misericordia tua subsequatur me omnibus diebus vitæ meæ.

Item : Jesu, qui es tentatus per omnia, succurre etiam mihi tentato, qui es resurrectio, vita, via, duc me, & vivifica me, &c.

Item : *Cùm ostendimus, per consolationem præsentem nos posse lætos orare.*

II. In cruce consolationem ad usum transferimus, quando ostendimus, causam justam esse, cur ob consolationem auditam omnia adversa patienter feramus.

III. In tentatione, cùm ostendimus, quæcúnque conscientiæ nostræ à Satana objiciuntur, quibus ad desperationem nos adigere satagit, ea omnia elidi pulcerrima illa consolatione, quam præ manibus habemus.

Sed hic notandum, quando usus consolationis ostenditur in tenta-

tentione, tentationem duplicem esse, vel propter peccata ad desperationem, vel ad peccata, adeóque ad securitatem, & tum (in hoc posteriore genere) hac aut consimili formula utimur: Hæc consolatio efficere debet, ut valedicamus peccato, non vivam amplius peccato, postquam tanta salus, tanta gratia, consolatio, promissio illuxit.

IV. Usum consolationis ad mortem transferimus, quando ostendimus, tantam esse vim consolationis auditæ, ut nunc lætè quilibet possit mori, vel, ut, quicúnque illam amplectitur, cum Simeone dicere possit: Nunc dimitte servum tuum Domine.

(Vide exempla in Idea festo Paschatis & Nativitatis, item Dominicâ I. Adventûs.)

Observandum & illud artificium: non semper dicendum: hoc te solatur in peccato, cruce, tentatione, morte: sed variis formulis uti posse concionatorem quoad verba, retenta serie eadem rerum.

V. g. Explicaturus aliquam insignem consolationem, dicere possum: Si nunc ad me aliquis veniat, dicátque, esse qui meam præsentiam expetant. Unum tentari propter peccata, alterum tentari ad peccatum, tertium conflictari cum impatientia, quartum in agone propemodum esse constitutum. Unde petam consolationem, quæ his omnibus sufficiat? Nimirum non aliunde, quam ex textu præsenti.

Exemplum integræ formæ hoc modo alios consolandi reperies in idea concionis tertiæ super caput 53. Esaiæ.

LXV.

Usus locorum communium moralium consistit in exhortatione ad bona opera, & dehortatione à vitiis: quarum illa virtutum laudes, hæc vitiorum continet reprehensionem.

LXVI.

Laudes virtutum vel repetuntur ex textu explicato, vel etiam aliunde accersuntur. Sic & vitiorum reprehensiones.

LXVII.

Arguenda sunt peccata cùm publica, sive manifesta, tum etiam arcana,

Ratio

Ratio præcepti est: Quia multi non sunt rei manifestorum peccatorum, qui tamen sunt rei arcanorum peccatorum, ut, Non orare, est arcanum peccatum, sed fons manifestorum.

LXVIII.

Non omnia porro vitia ad populum taxanda sunt. Expedit multa ignorari, ut artes magicas, species libidinum. Quædam nimis accuratè reprehendere, est alios ea docere: quia curiosum est ingenium hominum.

Satis igitur est in genere crimen proponere, & quidem cum horrore & abominatione.

LXIX.

Nec nominatim taxandi sunt Principes & Magistratus, ut Prophetæ faciunt.

Ratio præcepti est: Quia Prophetæ simul erant politici gubernatores, nos non item. Non igitur omnia possumus imitari in Prophetis.

LXX.

Nec unus aliquis unquam deligendus, in quem dirigas reprehensionis tela.

Ratio præcepti est: Quia durius est sauciari in concione, quam domi. In concione omnium oculi in unum illum intenti sunt: fitque is publicum probrum omnium, qui domi unius tantum aut paucorum exponeretur irrisioni.

LXXI.

Objurgans vitia semper cogita de te ipso, atque idcirco ita moderare objurgationem, ut simul hæc & cogites & addas.

I. An tu sis talis:

II. An fueris talis:

III. An possis esse talis.

Et dic: Ne alter alterum judicet: siquidem aut sumus, aut fuimus, aut possumus esse quod hic est.

LXXII.

Omnis objurgatio sit querela, & non expostulatio sæva & inaudita.

Ratio

Ratio præcepti: Quia hæc una ratio objurgandi vacat calumniis, & est remedium omnis levitatis & temeritatis.

Levitatis est, ironicè & sarcasticè vitia taxare.

Temeritatis est, iracundé, rabiosè, furiosè objurgare.

Primùm prodis ea re affectûs & impotentiam animi, dicúntque auditores, te ex affectu & irâ loqui, non vero judicio, dicturum fuisse aliud, si sedato fuisses animo.

Deinde offenduntur iidem, & postea inquirunt in totam vitam tuam, & incipiunt colligere vitia tua.

Dolenter igitur loquere.

Exemplum.

Ah optimi auditores, ne hoc faciatis: quisque sibi parcat: ne contemnamus admonitiones Jesu Christi, &c.

Item: Loquere ita de vitiis, quasi tu non possis mala mutare. Ego non possum mutare; sed quid Deus aliquando dicet?

Non possumus mutare in vobis: sed tamen illud scimus, & etiam vobis dicimus: lamentabile vobis erit, quando judex universæ terræ sistet vos coram tribunali tremendo, ut reddatis rationem de cogitationibus, verbis, factísque vestris.

Ibi dicetur: Utinam nihil essem! utinam evanescerem! Non omnia verba sunt, sed Christi. Ideo obtestor vos propter gloriam Dei, propter amorem Jesu Christi, cogitate etiam atque etiam cum animis vestris:

1. pœnarum atrocitatem, si perrexeritis in peccatis.
2. promissionum de peccatorum remissione suavitatem, si resipueritis.

Quare moriemini domus Israel? Venite ad me omnes, &c.

Breviter: effer accusationes per obtestationem, & conclude querelas accusatorias obtestatione, & semper dic:

Kérlek édes Atyám, adgy ennek a' népnek meg-olvadott és tsepegő szivet azokon a' rettenetes bűnőkön, &c. Tedd őket valoba tőredelmessékké, hogy isteues keserűséggel zokoghassanak az ő bűnőkön, s' nyerhessenek idvősségre soha meg nem bánando bánkodást, és meg-térést, &c.

LXXIII.

Non solùm autem querela mitigat objurgationem, sed multa quoque alia.

Ut: *Si personam nostram adhibeamus.*

(Fra

(Frequenter hoc facit Origenes. Sic Hom. 12. in c. 34. Exod: Ego me ipsum corripio, me ipsum judico, ego meas culpas arguo: viderint qui audiunt, quid de semetipsis sentiant, &c.

Non hoc trahendũ ad scelera, objurgans adulteros, non dicat: Ego etiam sum talis: sed, ego peccator peccatores moneo.

II. Si ipsos, quos reprehendimus, judices facimus: exemplo Petri: utrum oporteat magis obedire Deo, an hominibus, vos ipsi judicate.

III. Si scripturam ipsam loquentem adducamus.

Ut: Audiant, qui talium scelerum sibi conscii sunt, non me, sed scripturam.

IV. Si concionator se excuset, cur audeat alios objurgare.

Sic: Ego non auderem ista vitia taxare, ac toties accusare, nisi haberem

1. mandatum severissimum.
2. exemplum Prophetarum & Apostolorum.

LXXIV.

Omnis objurgationis sive reprehensionis conclusio sit consolatio.

Hoc est, addenda semper est conditio pœnitentiæ, eâque post omnem objurgationem & reprehensionem urgenda.

Colligat ergo sibi Ecclesiastes magna cura, studio & labore, omnia dicta veteris & novi testamenti, de conditione pœnitentiæ additâ in peccatis, eâque citet & inculcet post objurgationem.

LXXV.

Observandum autem inprimis est: quòd termini nostri, peccatum, crux, tentatio, mors etiam in omni concione, de bonis operibus, & in omni objurgatione locum habeant.

Si suadeas bonum opus, dices: Cogita: si hoc & illud feceris, quam lætè precaberis, in calamitate multò quam alii patientior, in tentationibus & morte ipsa animosior eris, quando cum Ezechia dicere poteris: Memento Domine, quomodo ambulaverim coram Deo, &c.

Contrà, si objurgas aliquem: Quid dicturus es, cùm tuo animo obversabuntur obscœna tua verba, injustitia, tyrannis, quando voles precari in magnis calamitatibus, in maguis tentationibus, & in

& in agone, quando ibi jacebis ſemivivus, omníque ſolatio & auxilio humano deſtitutus.

Hæc ſunt præcipua terriculamenta malorum. Tantùm minitare impio iſtos agonas ſive luctas.

LXXVI.

Poſtremò, regula Pauli moderetur omnes caſtigationes & reprehenſiones.

Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt, id eſt, non faciunt ad ædificationem.

LXXVII.

Hactenus tractatio ipſa: ſequitur de illius Principio & fine. Principium tractationis, vulgò Exordium, eſt quædam ad tractationem præparatio.

LXXVIII.

Hoc communiter trium aut quatuor periodorum ſit: rarò plurium.

LXXIX.

Nunquā petendum eſt à rebus, quæ in concione tractantur: ſed ab iis quæ extra rem ſunt & cauſam, nec tamē ab ea aliena.

LXXX.

In Exordio ars non coërceat naturam, ſed omnia fluant naturali facilitate.

Non igitur ſint tumida exordia, ſed timida: non ſplendida, non ornata, non amplificata, non grandia: ſed ſimplicia & naturaliſſima, ut dicatur de re præſenti, quod res ipſa dicere jubet.

Peccant igitur, qui exordiuntur cum magniloquentia, & ſynonymis in exordio utuntur.

LXXXI.

Finis tractationis eſt Peroratio, ſive concluſio, cujus prima gloria eſt brevitas.

Peccant igitur, qui novam concionem in perorando inſtituunt.

LXXXII.

Partes concluſionis duæ ſunt: Repetitio & Exhortatio.

LXXXIII.

Repeti-

Repetitio est pars Conclusionis dogmatica, quâ summa concionis capita breviter repetuntur.

LXXXIV.

Exhortatio est pars Conclusionis pathetica, quâ πάθη vel in ultimum illum conflictum reservata, vel è concione repetita dominantur.

(*Patè*, seu *patetikòs lógos*, est oratio in qua fervent concitati affectus, sive qua animi concitantur & perturbantur. Frigidi sunt itaque concionatores, qui negligunt hoc in conclusione.)

LXXXV.

Hactenus de prudenti tractatione: sequitur de convenienti elocutione.

Convenienter eloquetur omnia concionator, si in concione sermone maximam partem proprio fuerit usus.

Ratio præcepti est :

Quia non tam loquimur doctis quam indoctis, quorum maxima pars est. Ideo
Munda, sed è medio consuetáque verba Ministri
Dicite, sermonis publica forma placet.

Vitentur igitur : 1. Proverbiorum crèber usus.
2. Metaphorarum.

LXXXVI.

Facit & hoc ad dictorum intelligentiam, si brevibus periodis orationem nostram circumscribamus.

Peccant igitur qui parentheses longas interjiciunt : ut *protáseos* non solùm auditores, sed ipsimet sæpius oratores obliviscantur.

LXXXVII.

Sic igitur prima pars concionis rectè informandæ explicata est: sequitur altera, de pia auditoris delectatione, quæ tota in suavitate consistit.

LXXXVIII.

Suavitas illa vel in verbis est, vel in rebus, vel in utrísque.

LXXXIX.

Suavitas verborum est: cùm concionator studio singulari medita-

meditatur verba & phrases, quæ auditoris auribus gratissima sunt futura.

XC.

Suavitas rerum est in inventione suavi Exordiorum, Propositionum, Confirmationum, Epilogorum.

XCI.

Exordii suavitas petitur vel è præsenti textu, vel aliunde.

XCII.

E præsenti textu, cum vel commendamus textum, vel auditorem ipsum jubemus intueri in historiam, aut thema præsens in idea cordis sui.

Exempli gratiâ. Considera ipse: an non pulcrum dictum, pulcra historia? Stat ibi Filius Dei, dicit, &c.

Quid quæso amabilius? quid ad consolationem efficacius dici poterat?

XCIII.

Aliunde, cùm amabiles auditori inventiones proponimus, quæque tempori, loco, auditorio accommodatas.

Exempla.

Ut in die Nativitatis, si concionator auspicetur concionem vocibus Angeli: Annuncio vobis gaudium magnum.

Sic die Paschatis in Exordio imitari possumus totum ferè Psalmum 118. mutatis mutandis, hoc est, iis quæ de Deo Patre, ejúsque in populum Israeliticum beneficiis dicuntur, ad Christum, ejúsque in populum Novi T. beneficia applicatis: hoc modo:

Quod pauperibus Pascha celebraturis, ac Domini ad cœnam accessuris accidit, ut in vestitûs honesti inopiâ, vicinorum implorent opem, qua adjuti, in Dei Ecclesiæque prodire conspectum timuri queant: idem mihi, qui excitare vos, Auditores, ad consistorandum beneficia Christi parta resurrectione, ut par est, debeo, ubi jam venire intelligo. Meæ námque optimè conscius tenuitatis, verba quibus vos alloquar, deesse mihi confiteor. Rectiùs paráque haud fecero, quàm meam inopiam sacrarum literarum copia atque ubertate expleam, divitémque Davidem inops ego adeam, depromturus è thesauris ipsius, quibus ad divinæ prædicationem beneficentiæ excitari omnes posse videamur.

Ille festivitatem paschalem cum esset celebraturus, diligenti beneficiorum Dei consideratione suscepta, in ejusmodi verba lætus erupit:

Celebrate Jehovam: quia bonus est, quia in seculum benignitas ejus:

Dicat nunc Israel, esse in seculum benignitatem ejus. Dicant nunc qui sunt ex familia Aaronis, esse in seculum benignitatem ejus. Dicant nunc timentes Jehovæ, esse in seculum benignitatem ejus.

Vox cantûs & salutis est in tentoriis justorum, dicens: Dextera Jehovæ agit strenuè: dextera Jehovæ elata, dextera Jehovæ agit strenuè. Quem lapidem spreverunt structores, is est in caput anguli. A Jehova est hoc: estq; mirabile in oculis nostris. Hæc est dies, quam fecit Jehova, exultemus & lætemur in ea. Benedictus est qui venit in nomine Jehovæ, benedicimus vobis ē domo Jehovæ. Deus fortis Jehova, qui illustravit nos. Ligate sacrificia festi funibus usque ad cornua altaris.

Deus fortis meus es, ideo celebrabo te, Deus meus exaltabo te. Celebrate Jehovam, quia bonus est, quia in seculum benignitas ejus.

Sic itáque David. Agite & vos, quotquot ritè celebrandi Paschatos studio flagratis, adeste inquam, sanctissimúmque Prophetam præcinentem unà mecum cantu subsequimini.

Celebrate Jehovam: quia bonus est, quia in seculum benignitas ejus.

Celebrate Jesum Christum: quia bonus est, quia in seculum benignitas ejus.

Dicat nunc Israel, esse in seculum benignitatem ejus.

Dicat nunc Christiana gens: esse in seculum benignitatem ejus.

Vox cantûs est in tentoriis justorũ, dicens: Dextera Jehovæ agit strenuè: dextera Jehovæ elata: dextera Jehovæ agit strenuè.

Vox cantûs est in cœtu fidelium, dicens: Dextera Domini Jesu agit strenuè: dextera Jesu elata: dextera Jesu agit strenuè.

Quem lapidem spreverunt structores, is est in caput anguli.

Quem lapidem Judæi in cruce percusserunt, is resurrexit.

Hoc factum est à Jehova, & est mirabile in oculis nostris.

Hoc factum est à Christo, & solatium cordibus nostris suppeditat.

Hæc

Hæc est dies, quam fecit Jehova, exultemus & lætemur in ea.
Hęc est dies, quã fecit Christus, exultemus & lætemur in ea.
Benedictus qui venit in nomine Jehovæ.
Benedictus Rex noster qui resurrexit.
Benedicimus vobis è domo Jehovæ.
Benedicim⁹ vobis, qui membra corporis Christi salutamini.
Deus fortis, qui illustravit nos.
Christus Rex ille, qui omni nos solatio beavit.
Ligate sacrificia festi funibus usque ad cornua altaris.
Ornate corda vestra, resipiscentiâ, fide, caritate.
Deus meus es, ideo celebrabo te, Deus meus exaltabo te.
Deus meus es Jesu Christe, Salvator meus es, æternum te celebrabo.
Celebrate Jehovam, quia bonus est, quia in seculum benignitas ejus.
Celebrate Christum, quia bonus est, quia omni gratiâ affluit.

Sic festo Ascensionis comparatio noctis Natalitiæ & diei Ascensionis Christi in cælum institui hoc modo potest:

Nulla lætior nox terras invisit, quam Christum quæ enixa est: nulla clarior cælo lux affulsit, quam cum sacerdotii sui munere confecto cælum ingressus est Christus.

Illa nocte humanæ veritatem naturæ voluit fieri conspicuam: die hoc Deiatis suæ egregiè ostentavit majestatem. Illa nocte è cælo hasce in terras descendit, ut miseros homines redimeret: hoc die è terra in cælum ascendit, ut redemtos nos gloriosè coronaret. Illa nocte generi humano ob redemtionis initium in terra gratulati Angeli sunt: isto die ob perfectam omnibus numeris ejusdem adimpletionem, cælo applaudente, triumphârunt. Nam hæc est quæ frequentatur cantio, à Johanne excepta, litterisque mandata, Apoc. 12. Nunc facta est salus & potentia, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus: quia dejectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri die ac nocte.

XCIV.

Propositio sive partitio variis inventionib. suavis redditur.

Ut Dominicâ Cantate ad delectationem auditoris sic proponere possum: Dicemus, cur cantandum Domino canticum novum. Ratio prima: quia Christus ivit ad Patrem. Altera: quia dimittet consolatorem.

XCV.

Argumenta Confirmationis quomodo exhilarentur per tropos & figuras, docet Erasmus lib. II. Ecclesiastæ.

XCVI.

Conclusionem suavem reddit congeries seu oratio pathetica, concitans affectûs.

Ut: Ah auditores optimi, habemus Deum curantem nos, appropinquantem nobis. Utinam etiam pii essemus. Obsecro vos, accipite hanc dulcissimam consolationem, ut à Deo vobis jam de cælo missam.

XCVII.

Cæterùm ut ad benè dicendum multum facit pronunciatio clara, distincta, itaque temperata, ut parùm aut minimè à familiaris colloquii sono recedat: ita pronunciatio sonora, dulcis, canora mirificè delectat auditorem.

Interdum emphatica oportet tardè eloqui: sed alia quæ per congeriem recitantur, uno quasi spiritu sunt efferenda. Utrúmque est artis, tardè & celeriter loqui, scilicet in loco, ubi res postulat.

XCVIII.

Sic fuit delectatio: sequitur Motus sive affectus, de quo sequentia axiomata observentur.

XCIX.

Misce concionibus affectus, & non misce.

Misce affectus causæ, non tuos.

Nunquam igitur loquaris tuos dolores ad populum, multo minus tuas iras.

Ratio est: 1. Quia concionator est vox Filii Dei. Hujus ergo non suos affectus loquatur.

2. Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

C.

Nunquam studeas movere auditoribus tuis risum.

Agis enim legatum Dei: ac proinde gravitatem sectare in omnibus.

Peccant vehementer monachi: qui hoc unum agunt, ut rudi populo sint jucundi.

Nihil

CI.

Nihil potentius est ad excitandos bonos affectûs, quàm priùs habere in pectore sortem & bonum affectum: quando semetipsum exercet concionator in precatione, pœnitentia & fide, & super præsenti doctrina exhilaratur. Absque hoc nunquam alterius cor percellet.

Ideo facile est animadvertere, eos qui huic aut illi vitio sunt obnoxii, non posse animosè contra hoc aut illud vitium dicere, nisi planè audacis & præfracti sint ingenii.

CII.

Eò magis autem afficit concionator, quò magis penetrat in rem præsentem, adeóque ex experientia vel sua, vel aliorum concionatur.

In plerisque ergò thematibus forma ideam duplicem: 1. præsentis historiæ. Veni in rem præsentem, & introspice corda eorũ, de quibus agitur. 2. forma ideam communem, dicens: Nos etiam similia faciamus.

Ut: Publicanus orat, pulsat cor, abit justificatus: ita nos.

Ad summam: Ille est ad movendum aptus, qui motus cordis benè potest exprimere, ut typum cordis publicani percutientis pectus, & Dei remittentis.

Hæc sunt realia, & serviunt conscientiis, & erudiunt conscientias.

E. g. Si nobis explicanda sit parabola de publicano, narrat Lucas, quòd procul steterit, & postea orârit. Verùm non dicemus: Publicanus stetit procul, postea oravit; sed, post sensim incipit cogitare in corde suo de Messia, sensim incipit elevare cor: affectus cordis transit in oculos. Ideo non audet cælum intueri. Affectus oculorum transit in manus, ideo percutit manu pectus. Tandem affectus manûs transit in os, unde exclamat: O Deus, propitius esto mihi peccatori.

CIII.

Præter rerũ ipsarum contemplationem, multum facit ad movendos affectûs, Elocutio, Pronunciatio & Actio.

CIV.

In elocutione videndum, ubi occasio requirat incrementũ,

ubi

ubi cursum, ubi gravitatem, ubi suavitatem, ubi severitatem, copiam, inopiam, simplicitatē, tenuitatem, repetitionē, expolitionem, synonymiam, collationem, similia metaphoras.

O felicem, inquit Bucholzerus! ô prudentem eum! qui his omnibus uti norit in LOCO & TEMPORE.

Non ubique emphases, non ubique suavitas decet, non ubique ponderu, sed suo loco, suo tempore. Fatui ista promiscuè usurpant, nulla habita ratione loci, temporis, personarum, rei ipsius: ubique sunt pariter copiosi in synonymiis, cum tamen synonymiæ requirantur ubi est inculcandum aliquid penitius, hoc est, vel extenuandum, vel extollendum.

CV.

Pronunciatio sive apta vocis mutatio affectûs plurimum juvat.

Cùm enim ipsa natura juxta affectûs mutet vocem ac vultum, omninò ex animo loqui videntur, qui res vehementer diversas dispari quoque vultu & voce pronunciant.

CVI.

Actio, quò verecundior, hòc melior.

Peccant igitur

Qui indignatione verberant suggestum.
Qui manum dextram in altum porrectam vibrant.
Qui manum supra caput porrigunt in altum sublatis oculis, & interim veste defluente brachia nudant.

Sed spectandum in actione ante omnia, quid quemque deceat: cum natura indiderit quibusdam quidem gratiam quandam singularem, ut deceat, quicquid agant, quibusdam verò singularem quandam infelicitatem, ut, quicquid agant, displicuat.

FINIS.

GVILIELMI BUCANI ECCLESIASTES: Seu, DE METHODO CONCIONANDI TRACTATUS DUO;

Quorum priore de Dispositione, posteriore de Ornatu Concionum agitur.

VARADINI,

Apud ABRAHAMUM KERTESZ SZENCIENSEM.

cIↃ IↃC L.

TRACTATUS I.
DE DISPOSITIONE SACRARUM CONCIONUM.

APHORISMUS I.

CUm Apoſtolus requirit Paſtorem *didacticum*, i. e. doctorem, *1.Tim.3.2.* & *2.Tim.2.v.24.* qui ſermonem veritatis rectè ſecet, *2.Tim.2.15.* non vult eum ſimpliciter *doctorem* eſſe, cum multi reperiantur doctores, qui potiùs ad ſtivam eſſent aptiores: ſed docendi facultate & aptitudine præditum: & ſumptâ metaphorâ à legali victimarum ſectione ac diſtributione, vult tum ut nihil prætermittat quod dicendum ſit, nihil adjiciat de ſuo, nihil mutilet, diſcerpat, torqueat; ſed ſpectet diligenter quid ferat auditorum captus, quid ad ædificationem conducat; tum etiam ut adhibito judicio, & ſobria induſtria, juſta diſpoſitione, auditoribus Scripturam ad captum ipſorum exponat. Cujus diſpoſitionis licet occultatæ, ad acuendam lectorum diligentiam, divino conſilio comparatæ, exempla luculentiſſima in ſuis epiſtolis ipſe præbet Apoſtolus.

Qualem paſtorem requirit Paulus.

Proinde niſi, qui ad populum verba facturus eſt, initio rectè propoſuerit qua de re ſit dicturus, in certas partes rem tractandam diſtribuerit;

Diſpoſitio paſtorum

ri necessaria. rit, seu distinxerit: Partes ordine eo, quo in partitione positæ sunt, tractarit: & una parte absoluta, per commodam transitionem, ad sequentem partem accesserit: Is non solùm sibi suísque auditoribus, variis ambagibus, digressionibus, & repetitionibus molestus erit, sed etiam ad exitum orationis suæ difficulter perveniet.

APH. II.

Quæ in textuante conciónem sint observāda. I. Concionem paraturus, 1. Textum ante omnia legat, relegat, perlegat; Phrases seu locutiones vocúmque tum singularum, tum complexarum significationes accuratè examinet; idque faciat, vel consultis ipsis fontibus, vel saltem omnium optimis laudatissimísque versionibus, unde sensum germanum eruat cum circumstantia loci, fidei analogia, & aliis Scripturæ locis convenientem. *Rom. 12. 2.*

Textum diligenter legat.

Statum attendat. II. Diligenter imprimis consideret, quis sit præsentis textus scopus, status, seu propositio: quæ ei argumenta subjiciantur. Vel si plures in eodem textu, ut sæpe fit, propositiones sese offerant, sigillatim eas distinguat, & ordine debito loco tractandas constituat.

Unde statum agnoscat Scopum autem, sive statum unius cujúsque loci facilè agnoscet, tum ex genuino & vero sensu verborum, tum ex iis quæ textum explicandum antecedunt & consequuntur. Nam ut ait Hilarius l. 4. de Trin. *Intelligentia dictorum ex causis assumenda est dicendi*; & lib. 9. *Dictorum intelli-*

elligentia, aut ex propositu, aut ex consequentibus exspectetur.

III. In textu enarrando, quid possit, priùs ipse sua industria experiatur, & suas meditationes, observationesq; proprias consignet: Tum aliorum sed puras & orthodoxas lucubrationes consulat: ut ex iis sua corrigat, vel supplet, vel de rebus utilibus & necessariis ad præsentis textûs enarrationem pertinentibus ansam accipiat. *Quid possit experiatur.*

APH. III.

Quoad Genera causarum, iis variè utitur concionator etiam in una eadémque concione. Quando enim vult docere, utitur genere Didascalico: Quando consolatur aut hortatur, aut dehortatur, Deliberativo: Quando arguit adversarios, versatur in genere Judiciali: Quando laudat personas vel facta, genus Demonstrativum usurpat. Hæc Prolegomenôn vice dicta sint. *De generibus causarũ.*

DE CONCIONUM PARTIBUS.

Tres sunt concionis Ecclesiasticæ præcipuè partes: Exordium, cui propositionem annecto: Tractatio: & Epilogus. *Tres concionis partes.*

DE EXORDIO

APH. I.

I. Exordium seu Præfacio est ingressus quidam, quo ceu viam sternimus ad rem, quam tractaturi sumus: & quo de rebus non levibus, sed necess- *Usus exordii*

ſariis & ſalutaribus dicturos nos ſignificamus, ad attentionem nobis conciliandam: quo etiam, in continuato textu, præſentis loci cum præcedenti connexionem & cohærentiam oſtendimus.

APH. II.

Vnde ſumi debeant.

1. Exordia ſumi poſſunt Vel à doctrina ex præcedenti textu deducta, quæ in poſtrema concione non fuerit tractata, quæ tamen cognationem quandam habeat cum præſenti loco; vel ſaltem à qua ad præſentem locum commodè, non hiulcè & per ſaltum, ut dicitur, fiat tranſitus. 2. Vel ab ijs quæ rem, de qua dicturi ſumus, circumſtant, nec tamen ab ea prorſus diverſa ſunt: ſed cum ea aliquam affinitatem habent. 3. Vel ab aliquo pronunciato ſeu ſententia Scripturæ, ad rem faciente. 4. Vel ab aliqua hiſtoria ſacra. 5. Vel à ſimilitudine conveniente. 6. Vel à quodam proverbio. 7. Vel à cauſa ſeu fine & uſu doctrinæ in textu comprehenſæ. 8. Vel ab utilitate & neceſſitate rerum dicendarum. 9. Vel ab occaſione, ut fecit Apoſtolus Act. 17. 22. arrepta concionis occaſione, ab altari quod inſcriptum erat, *Deo ignoto.* 10. Vel à tempore, aut aliis circumſtantiis. 11. Vel à repetitione brevi rerum in præcedenti concione dictarum, & tranſitione ad præſentem textum, ſi integrum librum exponam?. 12. Vel denique ſine multa præfatione, à propoſitione, qua exponimus quid in præſentis loci

loci explicatione Auditori sit exspectandum.

Nihil autem magis in Exordiis laudari solet, quàm si brevia & dextrè accommodata sint.

APH. III.

I. Itáque peccant, qui à doctrina, vel loco communi, quem vocant (qui demum postea in tractatione ex textu priùs explicato eruendus est) ordiuntur. *Quinam peccent in exordiis.*

II. Peccant etiam ii, qui concionem præcedentem penè integram in Exordiis repetunt, cum tantùm summa capita repetere sufficiat.

III. Peccant denique, qui ferè dimidiam aut saltem minimum tertiam partem concionis Exordiis tribuunt: & cum propè finis concionis expectatur, tum demum proponunt, non sine magno auditorum tædio, ea de quibus dicturi sunt, vel textûs prælecti expositionem aggrediuntur: unde fit ut dicendi modum excedant, vel manifestam textûs, aut rerum propositarum explicationem auditoribus relinquant.

Laudabile est autem Exordium, quod duarum, aut trium, aut ad summum quatuor justarum periodorum ambitu absolvitur, & cui mox propositio subjicitur, per quam, quib. de rebus dicturi simus, breviter explicamus: estq; veluti concionis habendæ argumentum. *Laudabile Exordium.*

DE PROPOSITIONE.

APH. IV.

I. Propositio fit, vel nulla adhibita partitione, quia adhiberi non potest. Nam siquidem Propositio *Quomodo instituenda*

Propositio. positio seu sententia una & simplex sit, sat est eã ostendere, & delineare paucis verbis. In tractatione verò ejus explicatio bipartita sequatur; ita ut in priore subjectum, in posteriore attributum propositionis declaretur. Quod si sententia seu propositio, conjuncta habeat argumenta, confirmationis, confutationis, adhortationis, reprehensionis, aut consolationis, hæc ab illa discernenda & dijudicanda, sed sigillatim in sequenti tractatione expendenda erunt.

De partitione. II. Vel, Propositio fit adhibita partitione seu distributione: quando plures propositiones aut partes alicujus textûs, aut circumstantiæ alicujus facti seu historiæ sese offerunt.

III. Providendum autem, ne partes generalis hujus propositionis, de qua agimus, nimis multæ sint: Nam facilè auditorum memoriam prætervolant; & eosdem reddunt pertæsos, cum statim suspicentur concionem fore prolixiorem. Sed vel duæ tantùm, vel tres, vel ad summum quatuor constituantur. In Tractatione autem partes generales, si res ita ferat, in partes speciales generalibus istis concinnè subjectas, subdividantur.

APH. V.

Quæ sint observanda in partitione. I. Observandum in Partitione ut quæ ratione ejusdem subjecti conjuncta sunt, conjunctim, & quæ ad unum commune genus revocari possunt, uno veluti complexu comprehendamus & simul enumeremus. Quæ verò distin-

cta

cta ſunt ſubjectis & veluti diſparata, diſtinctè proponamus; Ita tamen ut propoſitio vel partitio non ſit ipſo textu vel latior, vel anguſtior, ſed hunc totum comprehendat, nec ullam particulam ejus excludat.

II. Obſervandum, ne partium loco numerentur doctrinæ ipſæ, ſeu loci communes, qui poſtea ex ipſo textu ſunt eruendi, ſicut naturæ ordine ſunt poſteriores.

III. Obſervandum, ne ipſum textum iiſdem verbis in verſiculos, ſed ſenſum ipſum verborum, in ſumma, ſeu generalia quædam capita diſtinguamus.

IV. Obſervandum, ut res ſeu membra nudiſſimè proponamus: ne ſi amplificatio accedat, ipſam rei tractationem, quæ ſuo loco reſervanda eſt, ſuſcipere velle videamur.

V. Facta tamen partitione, præcipuas doctrinas ex iis partibus eruendas indicare non erit inutile; ut monſtrato breviter præſentis loci uſu, attentionem nobis conciliemus.

VI. Poſtremò, quo ordine ſingulæ partes fuerint propoſitæ, eodem in tractando perſequi eas oportet. Atque hæc de Exordiis.

DE TRACTATIONE, SECUNDA CONCIONIS PARTE.

APH. I.

TRactatio, eſt textûs propoſiti, id eſt, vel cùm propoſitionis unius per partes; tùm argu- *Tractatio quid ſit.*

argumentorum ei adjunctorum, vel singulorum partitionis membrorum, primùm quidem quoad sensum, deinde verò quoad usum, copiosa, popularis, & prout temporis ratio ferre potest, enucleata declaratio.

Tractationis membra

Secatur autem in totidem membra, quot propositæ sunt textûs partes in distributione.

APH. II.

Partes cujusque membri Tractationis.

Tractatio cujúsque membri constat tribus partibus: Narratione: Exegesi, id est, explicatione veri & genuini sensûs: & Applicatione ad usum.

APH. III.

Narratio quid sit.

Narratio, est ipse quidem textus à fronte concionis auditoribus prælectus, sed qui in tractatione ab initio singularum partium per membra repetitur, tum propter memoriam auditorum, tum ut appareant semina doctrinarum in singulis partibus.

Formula observanda initio Tractationis.

Plerumque autem initiò Tractationis cujúsque membri exponendi, præponimus hanc formulam: Quod ad Primum membrum, Quod ad Secundum, Quod ad Tertium; vel, Primò, Secundò, Tertiò, id est, Quod ad Primã, Quod ad Secundam, Quod ad Tertiam partem attinet: Et ferè simul occasionem dicti declaramus, ac plerumque summam seu argumentum digito monstramus & paucis indicamus: Tum textum membri cujúsque recitamus.

APH. IV.

Exege-

Exegesis, est explicatio dilucida verborum textûs in qualibet Tractationis parte, qua eorum, vel singulorum, vel conjunctorum germana sententia clarè aperitur: &, si opus sit, contrarius, aut alienus sensus, aut ad falsum dogma probandum falsa accommodatio, refellitur: Proprius autem asseritur, tum similibus locutionibus confirmatur, tum similitudinibus etiam convenientibus illustratur.

Exegesis seu interpretatio textûs.

Sed videndum etiam atque etiam, ne hic vel illalibi adhibitæ Similitudines sint vel ineptæ, vel nimium humiles atque abjectæ, vel nimium frequentes ac continuatæ. Nam illæ de majestate Verbi Dei detrahunt: hæ periculosas Allegorias in Scripturam inducunt, vel obscuros & dubios sensus in animis auditorum pariunt. Nec in Exegesi sunt multa testimonia, aut exempla similium loquutionum congerenda; nisi textus ita obscurus sit, aut controversus, ut per plura Scripturæ loca eum illustrare necesse sit: alioquin omnim testimoniorum & exemplorum allegatio, applicationi doctrinarum reservatur.

Similitudines quales adhibendæ.

APH. V.

I. Observandum: Interdum antequam ad textûs expositionem deveniatur, quædam in genere quæ faciunt ad ejus intellectum, vel ad scrupulum, seu dubitationem aliquam, quæ sese primo fronte offert, ex animis auditorum tollendam, præmittenda sunt.

Quæ sint observanda in Exegesi, seu expositione textûs.

II. Grammaticum examen singularum vocum,

Scrupulus

eximendus. cum, quod in ſcholis Theologicis inſtitui ſolet, à concionatore privatim quidem inſtituendum; ſed coram plebe linguarum imperita, aut omittendum, aut parcè faciendum eſt, ac potiùs ſenſus Scripturæ ſic privatim linguarum adminiculo inveſtigatus, ſimpliciter & perſpicuè proponendus eſt.

Grammaticum examen qui inſtituendu.

Senſus cujuſlibet loci ex ipſa ſcriptura petendus.

III. Unicus eſt verus, proprius, & germanus cujuslibet Scripturæ loci, non duplex ſenſus, (quia plus uno verum eſſe nequit,) qui ex ipſa litera, ſeu ex ipſis verbis rectè intellectis, ſive propriè, ſive tropicè uſurpatis, eliciendus eſt. Nec Scriptura eſt *privatæ interpretationis*, ait Petrus *2.Epiſt 1.20.* Sed ſententia Scripturæ in ipſa Scriptura quærenda (eſt enim optima ſui interpres) & tum ex ipſo textu, tum ex collatione ejus cum aliis Scripturæ locis eſt eruenda.

Ambiguitas & obſcuritas explanandæ.

IV. Si quæ ſit ambiguitas in verbo uno, aut pluribus; ſi vox habeat varias ſignificationes; ſi difficilis, aut inuſitata loquutio; ſi obſcuritas ſit in facto; 1. Diſtinctione convenienti præſenti loco, demonſtrata ſignificatione, notatione, definitione, deſcriptione, verbis ſignificantibus, & collatione ſimilis loci explananda eſt. 2. Genus etiam ſermonis notandum; forma loquendi indicanda: tum etiam ratio declaranda, cur non illo modo, ſed hoc potiùs loquutus ſit. 3. Emphatica verba, hoc eſt, quæ plus habent in receſſu, quam prima fronte præſe ferre videantur, premenda & ponderanda ſunt.

Gen' ſermonis notandum.

Emphaſes premenda.

ſunt. Sæpè enim hæc obſervata egregias doctrinas ſuppeditant: ſed emphaſes ineptæ & coactæ vitandæ ſunt.

V. Diverſæ & plures textuum præſertim obſcuriorum, interpretationes, quæ in ſcholis interdum commemorantur, & ex linguis & circumſtantiis textûs examinantur & dijudicantur, à concionatore quidem privatim conferendæ & examinandæ ſunt: ſed populo ex omnibus una ſaltem, atq; ea quidem, quam maximè conſentaneam in examine deprehendit, proferenda eſt. Quod ſi tamen ex textûs verbis duo ſenſus pii oriantur, prior ſi doctrinam utilem continet, priore loco exponendus: poſterior verò, qui uberiorem doctrinam parit, poſteriore loco tractandus & probandus eſt.

Vna ſaltem interpretatio proferenda.

Peccant ergo qui in unum eundémque textum congeriem variarum interpretationum aſferunt, quæ auditores incertos relinquunt & dubios quid ſequi debeant, & ſuſpicionem ingerunt, quaſi Scriptura in quamvis formam inflecti poſſit. Hæc de Exegeſi verborum.

Peccatur in interpretatione.

APH. VI.

De Allegoriis autem notanda Epiphanii regula: *Divinus ſermo non indiget ubique Allegorica interpretatione, ſed, ut fert ejus natura intelligatur. indiget autem ſpeculatione, & ſenſu, ut ſententiæ diſcernantur, & rectè intelligantur.* Et tritum illud non eſt negligendum: *Metaphorica & Symbolica Theologia non eſt argumentativa.*

De Allegoriis.

APH. VII.

De Paraphrasi, quando adhibenda.

Quando sententia obscura est, vel textus brevis & nervosus, post ejus exegesin, Paraphrasis, quæ & Metaphrasis, rectè subjicitur: Alioquin si textus est perspicuus, ea opus non est, ne tempus inutili verbositate protrahatur. In Paraphrasi autem hæc præcipuè sunt notanda.

Observanda in Paraphrasi.

I. Ut fiat verbis commutatis, & quidem clarioribus (sed salvo sensu) ne inanis sit *tautologia.*

II. Sit brevis: ne auditorum memoria verborum multitudine obruatur.

III. Formulæ instituendæ Paraphraseôs vulgares hæ sunt: Quasi dicat, Hoc est, Quibus verbis tantùm vult significare: Vel, Sensus verborum hic est: Hæc est sententia verborum Christi, Davidis, Pauli, &c. Quæ formula in fine Paraphraseôs etiam repeti potest, ut doctrinæ inde eliciantur.

IV. Paraphrasis sic attemperanda est, ut quędam quasi semina sequentium doctrinarum contineat, & attentus auditor quasi prævideat, quam doctrinam concionator sit subjuncturus; atque hinc intelligat doctrinam eam non esse coactam, sed ex textu suapte sponte fluentem.

Quinam peccent in Paraphrasi.

Peccant ergò: 1. Qui in Paraphrasi longas amplificationes instituunt, & amplificandi studio, inconsideratè Locum communem, seu doctrinam, quæ Paraphrasin sequi debet, ipsi Paraphrasi immiscent. 2. Peccant & illi, qui neglecta interpretatione textûs, protinus ad doctrinas,

ctrinas, seu Locorum communium tractationem irrumpunt: & textum, aut nunquam, aut obiter, quasi aliud agendo attingunt; nec quo modo Loci communes cum textu cohæreant, & ex eo nascantur ostendunt: unde fit, ut auditores textûs intelligentiâ priventur.

APH. VIII.

Postremò, quæ conjuncta sunt, vel plura, expositionis, aut confirmationis gratiâ sibi subjecta aut adjecta habent, vel ad unum aliquod probandum referuntur, distinctè explicari, & veluti colligari debent: ut ex iis postea in Applicatione, doctrinæ præcipuæ eliciantur, & ordine tradantur. Hactenus de Interpretatione.

APH. IX.

Applicatio, est accommodatio textûs expositi ad auditorum usum, de quo Paulus 2. Tim. 3. 16. *Tota Scriptura divinitùs inspirata est utilis ad doctrinam veri: ad redargutionem falsi: ad institutionem quæ est in justitia, id est, boni: ad correctionem seu reprehensionem mali: ad consolationem in adversis.* *Applicatio quid sit, & quinsus doctrinæ.*

Hi sunt quinque usus Sacro sanctæ Scripturæ: quorum duo priores ad Theoriam, posteriores ad Praxin pertinent.

Doctrina, est deductio & confirmatio verorum dogmatum: cùm ostenditur, quænam dogmata ex præsenti textu confirmentur, vel quæ ex eo deducantur. *Doctrina.*

Redargutio, est falsorum dogmatum refutatio, cùm ostenditur ad quænam falsa dogmata refutanda textus faciat. *Redargutio.*

In-

Institutio. Institutio fit, cùm textus applicatur ad exhortationes, admonitiones, ad vitam piè instituendam, & ad mores informandos in quovis vitæ genere, publico, & privato, Oeconomico, Ecclesiastico, & Politico.

Correctio. Correctio, constat reprehensione, seu increpatione peccatorum, & maximè eorũ, quę inter auditores cujusvis status & conditionis regnant.

Consolatio. Consolatio sumitur adversus tentationes & afflictiones, ex promissionib. divinis, vel exemplis, tum afflictionis sanctorum, tum divini auxilii & liberationis eorundem, & tum ad Theoricum, tum ad Practicum usum contendit.

Ad hos usus, vel omnes, vel aliquos, omnis sacra concio referenda est. Sed in his observanda quædam sunt in genere: quædam verò in singulis speciatim: De quibus ordine dicendum.

OBSERVATIONES GENERALES DE APPLICATIONE DOCTRINARUM.

Generales doctrina ex integro textu deinde speciales ex ejus partibus eruuntur.

1. OBservandum in genere, Interdum ex usu esse initio generalem sententiam ex textu explicato elicere, & ex eo doctrinam astruere. Deinde per Analysin singula veluti verba, aut circumstantias retexere ac resumere, & propiùs expendere, & ex iis ordine doctrinas, cõsolationes, & reprehensiones speciales colligere.

Transitionum In his tradendis, his ferè Transitionis formulis utimur: Jam ipsa verba audiamus: Atque ut

ad

ad illud, quod primo loco dicitur, accedamus: Jam aliud se offert considerandum in his Domini, vel Prophetæ, vel Apostoli, verbis &c. Quemadmodum sequentia testantur: Porrò ampliùs nos docet: Nunc quod addit magis exprimit: Jam subjungit: vel, Imprimis autem nobis considerandum est. *formulæ.*

II. Observandum, Singulas applicationes, sive sint Doctrinæ, sive Redargutiones, sive Institutiones, sive Reprehensiones, sive Consolationes, idoneis Scripturæ testimoniis muniendas, tum exemplis, vel similibus illustrandas esse. Nam quod animo objicitur in testimoniis, id quodammodo ante oculos ponitur in exemplis, & similibus. Qua de causa Bibliorum lectioni diligenter attendendum est, ut comparetur testimoniorum & exemplorum *euporia*, facultas & abundantia. *Doctrinæ testimoniis confirmandæ, similibus & exemplis illustrandæ.*

I. Cavendum autem hic, ne allegatione librorum, vel capitum Scripturæ erretur, vel non appositè locus adducatur. 2. In citandis testimoniis ut plurimum Prophetica Apostolicis præponantur. 3. Tum ea præcipuè proferantur, quæ propriè ad præsentem scopum instituti nostri faciunt, reliqua omittantur. 4. In testimoniis citandis verba ipsa scripturæ usurpentur, & si quæ obscura sunt, breviter & veluti per transennam clarioribus verbis explicentur; vel ratio dicti, vel loquutionis adferatur: ne obscurum per æquè obscurum interptetari videamur. *Appositè scripturæ citandæ.*

Quinam peccent in citandis Scripturis.

Peccant ergò, qui libros & capita Scripturæ plurima, absque textu, congerunt, & inani verborum sono auditores pascunt, vel ut memoriam ostentent, vel ut tempus protrahant & horam compleant. Nec ille omnium optimè concionatur, qui plurimos Scripturæ locos cumulat: sed qui sententiâm unam, vel alteram, sed rectè intellectam & accommodatam, adfert.

Patrum testimonia parcè citanda.

Circumspectè, & nonnisi quando res postulat, Patrum testimonia citanda sunt, & quatenus cum Sacris literis conveniunt, & potiùs illustrandi, quàm probandi causa: quia nec Canonicis sunt æquanda, & *qui loquitur* in Ecclesia, *loquatur ut eloquia Dei, 1. Pet. 4. v. 11.*

Quibus applicationibus plus vel minus immorandum.

III. Observandum, In duobus priôribus usibus, Doctrinâ videlicet & Redargutione, qui sunt mentis & intelligentiæ, paulò minùs quam in scholis; in posterioribus autem, nempe Institutione, Correctione, & Consolatione, qui sunt vitæ atque morum, magis quam in scholis, concionatori versandum esse: ac dandam operam, ut in his quæ ad Praxin pertinent, sit uberior: in illis quæ faciunt ad Theoriam, parcior & popularior.

Doctrinæ sponte nasci debent.

IV. Observandum: Ne Doctrinæ, Admonitiones, Consolationes, & reliqui usus sint à præsenti materia remoti, vel ex ea violenter extorti, sed nati, & sponte fluere ac se invicem insequi, & cum sequenti applicatione veluti cohærere videantur. Sunt itaque Applicationes sic ordinan-

mandæ, ut facilis & veluti obvius ab una ad altè-
ram sequentem, sit transitus: Et cognati loci
vel distinctè singuli suo loco explicentur, vel
sub uno principali loco comprehendantur: Sic
ut plures illi loci uni isti principali inserviant,
ejusque quasi distinctæ partes sint, quæ ita con-
nectantur, ut sequens præcedentem non invita
consequatur.

Peccant igitur, qui in explicandis, vel appli- *Qui peccent in applicatione.*
candis ad usum Scripturis, confusè, sine ordine,
saltuatim, & negligenter in hunc, vel illum Lo-
cum communem, seu doctrinam transiliunt, &
ubi docendum est, id est, dogma aliquod expli-
candum, aut confirmandum, aut Doctrina, sive
Consolatio promenda, quam avidè auditores
expectant, importunè Increpationes urgent:
vel contrà, Doctrinam adhibent, cùm Corre-
ctione seu Increpatione utendum est: vel ex uno
loco non absoluto, in alium delabuntur: aut ex
posteriore ad prioris tractationem redeunt, se-
ipsos simul & auditores implicantes.

Quod verò monet Paulus, 2 *Tim.* 4. 2. Instan- *Objectio.*
tum, tempestivè & intempestivè, arguendum
& objurgandum esse, non propterea rejicit *or-*
thotomiam, & sanctam prudentiam Spiritûs, ca-
piantem occasiones ad ædificationem oppor-
tunas: sed carnalem prudentiam pastoris, ne
suis tantùm horis, & pro sua commoditate do- *Solutio.*
cendi muneri incumbat, & velut ut nullis par-
cens laboribus seipsum urgeat & assiduus sit in

munere, etiam si assiduitas illa, ut fit, semper videatur auditoribus impprtuna.

Habendus doctrinarum delectus.

V. Observandum: Si plures Loci communes in divite materia sese offerant, ne omnes prolixa concione excutiantur; sed delectus instituatur, ut præcipui in præsenti tractentur: reliqui verò ad aliam occasionem asserventur; ne simul omnia dicere velle videamur: Et qui principales maximèque proprii sunt, uberiùs tractentur. Interim tamen concionator prudens nonnunquam in iis locis præcipuè illustrandis incumbet, quos temporis, loci, auditorum præsentiũ conditio requirere videtur, ut maximè illi principales non sint, dummodo non sint coacti, sed in textu qui tractatur sedem suam habeant.

Nõ quicquid de loco communi dici potest dicendũ.

VI. Observandum: In applicationibus, nonnunquæcúnque de aliquo Loco communi, aut doctrinis dici possunt, in medium esse proferenda; sed ea tantùm ad quæ nobis textus ipse occasionem & argumenta suppeditare videtur.

Qui peccent in digressionibus.

Peccant igitur, qui remotas & prolixas digressiones instituunt, & vix ad propriam Loci tractationem redeunt, aut ne eam quidem leviter attingunt. Néque enim quid piè verèque, sed etiam quid appositè, in tempore & loco dicatur, considerandum est. Itaque animo non vago, sed in singulis præsente, cogitationem currentem ad alia excipere seu revocare, mox insistere, cohibere, & circumscribere oportet.

Verba

VII. Observandum, Verba textûs retinenda,

a, & sæpè inter docendum, arguendum, insti- *textus ẽ- dentidẽ urgenda.*
uendum & consolandum, inculcanda, premen-
da & urgenda esse; ne Doctrinæ, Redargutio-
nes & Consolationes affectatæ, aliunde advoca-
æ; Reprehensiones verò ex affectu profectæ
videantur; sed in ipso textu fundatæ appareant.
Hæc de observationibus generalibus applica-
tionum.

REGULÆ SPECIALES IN SINGULIS USIBUS OBSERVANDÆ.

DE DOCTRINA ET Confirmatione.

1. IN excutiendis doctrinis ex textu qui explicatur, doctrinæ simplices (quæ themata simplicia vocant) didascalica Locorum communium tractatione sunt explicandæ, vel confirmandæ, ut à Definitione, à Causis, ab Effectis, ab Adjunctis, ab Exemplis, à Comparatis, à Testimoniis, à Repugnantibus, & similibus locis; non quidem omnibus, nec eadem semper serie; sed præsenti materiæ, & circumstantiis temporis & loci accommodatis, & methodo arbitraria & libera, quam tamen textus suggerit: ubi prudenter sese exerit usus methodicæ cognitionis Locorum communium Theologię. *Doctrina simplices methodo didascalica tractanda.*

2. In Confirmatione notandæ & declarandæ sunt partes argumentationis, quæ in textu includuntur, ut sunt propositio, propositionis ratio, rationis explicatio & approbatio, expositio. *In confirmatione partes argumentorũ notandæ.*

Absti-

Abstinẽdum in concione à vocabulis Artis.

Abstinendum autem à terminis seu vocabulis artis, quæ vocant; sed ea circumloquutione quadam exponi debent, ut quivis ex infima plebe intelligere possit.

Confirmationis formulæ.

Tum eorum dogmatum, quæ hoc tempore in controversiam vocantur, confirmationi præcipuè incumbendum, adhibitis his formulis: Hinc colligimus: Hinc perspicimus: Unde consequitur: Pertinet hoc ad confirmationem talis doctrinæ: Facit hoc ad: Ex quo intelligitis: Ex quo apparet: Prodest enim uti communicatione cum in hac parte, tum in aliis, qua concionator non tantùm auditores, sed se ipsum etiam communiter includit: vel Apostrophe ad auditores; Amabo, hoc considerate diligenter: vel, Hoc expẽdite charissimi, ut inde perspiciatis, &c.

Doctrinæ non excedant captum auditorum.

3. Spectandum est, ut tales ex textu eruantur doctrinæ, quæ captum auditorum non superent. Nam, ut ait Gregorius, debet prædicator inspicere ne plus prædicet, quàm ab audiente capi possit.

De Refutatione.

De Refutatione quo loco instituenda.

II. Refutatio (quæ est tum textûs præsentis cum alio textu in speciem dissidente conciliatio, tum imprimis erroris contrarii doctrinæ quæ tractatur, redargutio) præcedit confirmationem, quando animi auditorum errore sunt præoccupati. Tum enim priùs eradicandum & extirpandum, quàm plantandum & seminandum est. Jer. 1. 10. Nec capaces sunt veritatis, qui

priùs

ijùs ab errore non fuerint liberati. Unde Nazianzenus: *Plerisque quod adversatur, primò everendum: deinde proprium institutum confirmandum se videtur.* Quam legem etiam Paulus in epistola ad Romanos observavit.

Formulæ occupationum.

In Occupationibus autem hæ formulæ adhibentur: Quæri tamen non immeritò possit; Sed hic suboritur quæstio; vel, Sed prima fronte offert se objectio; vel, Quod si quis urget, cur, &c. Quid igitur dicemus, an: Aliàs confutationes illiorum dogmatum subjungimus confirmationi verorum, his aut similibus formulis: Hinc refellitur error eorum, qui, &c. Caveamus igitur ab errore: vel, Quapropter miserè deludunur, qui, &c. vel, Ne sinatis igitur vos seduci, charissimi, ab iis, qui &c. Porrò sunt etiam hæ formulæ Speciales de confutatione observandæ.

Quando refutandus error.

1. Ne facilè ad alicujus dogmatis erronei refutationem delabamur, nisi textus ipse nobis occasionem suppeditet: id est, vel cùm adversarii abutuntur præsenti textu; vel cùm textus hic argumentum firmum contra adversariorum aliquem errorem nobis suggerit.

Qui errores potissimùm refellendi.

2. In iis potissimum erroribus refellendis occupemur, ubi periculum est, ne grex nobis commissus iis implicetur. Antichristi tamen Romani errores, qui subinde repullulant, & fucosis colloribus veluti minio pinguntur, data quaq; occasione, sunt ense Verbi Dei rescindendi. Veteres verò hæreses, quæ jam sepultæ sunt, nihil

attinet

attinet refricari, juxta Proverbium, Malum benè conditum ne moveris: idque, ne auditores ad id quod antè nesciverant temerè indagandum excitentur, & ita vel legendo, vel inquirendo curiosiùs, imprudentes in errorem incidant.

Refutatio sit moderata.

3. In Refutatione, adhibenda moderatio, ne fiat cum acerbitate verborum: ne personarum potiùs, quàm errorum odio, aut cavillandi studio, instituta videatur.

Qui peccent in refutando.

Peccant ergò, qui veluti œstro perciti exardescunt & debacchantur in suos adversarios, & ita se ipsos præcipitant, ut præ irâ quid dicant ipsi ignorent, atque ita impotentiam animi declarent, tum fidem suam apud auditores suspectam faciant.

In refutando nõ fiat injuria adversariis.

4. In refutandis erroribus, non sunt impingendi adversariis errores, quos non docent & defendunt: nisi fortè ex iis quæ docent consequuntur: Nec confingenda argumenta quibus omninò non utuntur: nec ea quibus utuntur, truncanda, vel depravanda sunt; sed eorum sententia cognoscenda; & argumenta & verba formalia, nihil addendo, nihilq; demendo bona fide citanda sunt, ne ipsis fiat injuria; sed sit locus dicto: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.

Perspicua esse debet refutatio.

5. Maximè autem studendum perspicuitatis in convincendis adversariis: Quod fiet, si auditoribus, velut oculari demonstratione, error obvio oculos ponatur, & tum in quo fallantur, vel ex præsenti textu, vel ex bona consequentia ostendatur.

tur, & id quidem non subtiliter juxta Dialecticorum regulas, sed ita populariter, ut audi-tores assequi possint, tum firmissimis & appo-sitissimis ad rem testimoniis, subvertatur.

Occurrendum etiam bona fide adversario-rum enstasibus, objectionibus, vel locis, Scriptu-ræ, qui ipsis in speciem favere videntur, non ta-men singulis; sed ut plurimùm duobus aut tri-bus, iisque potissimùm, in quibus causæ suæ firmamentum ponunt. Nam integra refutatio ex professo alicujus erroris scholis reservatur.

Non omnia argumenta adversariorum sunt excutienda.

His autem vel similibus formulis hac in parte uti licebit: Quod verò objiciunt, &c. Néque nos illud moveat, quod alibi dicitur; vel, Néque hoc ab illo dissentaneum est; vel, Locus verò ille nihil facit ad id; Dicunt quidem hoc, vel illud adversarii iidem, sed adhibenda est distinctio; vel, Sed & genuina interpretio ex hoc vel illo loco confirmari potest.

6. Sicut ad quoslibet fidei articulos confirmandos, sic ad falsa dogmata confutanda concionator in promptu habeat Scripturę Canonicæ testimonia, non longè accersita, & quæ non longa circuitione, sed rectâ, & ex diametro falsis opinionibus repugnant. Hactenus de Refutatione.

Formulæ quibus occurri adversariis solet.

SEQUITUR DE APPLICATIONE AD PRAXIN.

OBservanda præcipuè in sequentibus Scripturæ usibus hæc regula: Universalia dicta,

cta, sunt accommodanda ad hypotheses. Et contra Individua & particularia dicta, ad Universalia sunt revocanda. Atque hæc est communis Regula tribus sequentibus applicationibus.

De Institutione.

Qua ratione attemperanda sit institutio.

Institutio fit, quando ex textu tum exhortationes, tum admonitiones elicimus, & eas accommodamus ad præsentes auditores. Est autem præsens hac in parte rerũ status considerandus, tum auditorum conditio, vita, mores cognoscendi, & his cognitis attemperanda institutio, ut præsentibus auditoribus sit apta & utilis.

A præsenti rerum statu.

Adhæc præsentibus eventibus, sive judiciorum Dei notis & periculis circumstantibus, sive bonitatis ejus argumentis, movendi sunt auditores, ut opera Dei, quæ nunc quóque facit, considerent: ut quæ aliis evenerunt, sibi quóque evenire posse censeant, & ex iis à peccatis sibi cavere, pietati studere, & Deo fidere discant. Exhortationes autem seu admonitiones fiunt ad sinceritatem & constantiam in fide & cultu Dei: ad timorem, amorem & reverentiam ejus: ad preces & gratiarum actionem: ad vitam quæ respondeat Christianæ professioni: ad charitatis officia, & virtutum omnium studinm, prout textus fert, quæ Decalogo præcipiuntur, quibus Deus glorificatur, & ejus benedictio accersitur: Dehortationes verò à vitiis contrariis, quibus ad iram provocatur.

Ad quid exhortationes instituantur.

Unde sumendæ

Exhortationes sumendæ sunt prout textus fert

ert & exigit. 1. A necessitate rei, mandati divini, professionis nostræ, Christianæ vocationis: ab utilitate; à dignitate personarum & rei: à promissionibus vitæ præsentis & futuræ: à gloria Dei; ab ædificatione proximi, &c. *menda exhortationes.*

2. Facta etiam aliorum laudabilia suppeditant exhortationes ad illa imitanda.

3. Tum reprehensiones peccatorum suppeditant stimulos ad studium contrarium virtutum. Nam si quod opus à Spiritu Dei damnatur, facilè inde colligitur, opposito ei operi bono esse studendum.

4. At utiliter ipsis Scripturæ verbis fiunt exhortationes & admonitiones hac vel simili formula: Dictum nobis, fratres, putemus, quod dixit Dominus. Item, Nobis loquitur Dominus per Prophetam, vel Apostolum, &c. Nunc ergò colite Jehovam cum reverentia, & exultate cum timore, Psal. 11.20. Sacrificate sacrificia justitiæ, & fidem habete in Jehova, Psal. 4. 5. Exuite veterem hominem cum suis concupiscentiis, & induite novum, Eph. 4.22.24. Nox præteriit, dies advenit; abjiciamus ergò opera tenebrarum, & induamur habitu qui luci conveniat, &c. Rom. 13. 12. Sint mores vestri alieni ab avaritia: Estote contenti præsentibus. Dixit enim ipse, nequaquam deseram te, néque unquam te relinquam, Hebr. 13. 5. 6. *Formula exhortationum.*

5. Ab exemplis etiam pœnarum, quo modo debeamus extruere admonitionem, ostendit

Paulus 1.Cor. 10. 5. & seqq. Sed plerosque illorum non approbavit Deus, prostrati sunt enim in deserto. Hæc autem typi fuerunt, ut ne concupiscamus res malas, sicut illi concupiverunt. Ne igitur idololatræ estote, sicut quidam, &c. Ne scortemur sicut quidam: Ne tentemus Christum, sicut quidam, &c. Néque murmurate sicut quidam, &c. & perierunt ab exterminatore: Hæc autem omnia typicè evenerunt eis: Scripta autem sunt propter nos. Sic Hebr. 2. 2. 3. & cap. 3. 7. 8. & 4. per totum.

6. Cùm etiam aliquod peccatum Scriptura ipsa reprehendit, ducenda inde admonitio, per Apostrophen & particularem cõpellationem, hac vel simili formula: Te ipsum examina & dispice, an non in simili peccato hæreas, & cogita apud te; Tu iste es, mutato nomine: Tu reprehenderis, resipisce igitur. Hæc de Institutione, &c.

DE CORRECTIONE MORUM.

Correctiones quomodo instituenda.

1. CorrectIo seu Reprehensio scelerum, seu charitatis extinctæ, aliàs sequitur Exhortationem.

2. In hac, præter testimonia & exempla Scripturæ, adhibentur interdum, sed parcè, exotericorum Sententiæ memorabiles & exempla, ad incutiendum Christianis hominibus pudorem.

Formulæ correctionum.

3. His verò transitionis formulis ferè utimur: Quod utinam benè meminerimus, sed quid, &c. Hic verò reprehendi debet nostra cor-

ordia; vel, Sed proh dolor tantum abest ut hæc faciamus, ut potiùs contra; vel, Sed obsecro, quo modo hæc observantur? vel, Hic deplorandà venit nostra ingratitudo, contumacia multorum, &c. vel, Sed quid dicendum de iis qui, &c.

4. Objurgatio sumenda secundùm textum à turpitudine rei perpetratæ, à dignitatis personæ, & turpitudinis rei cōparatione: à conscientiæ propriæ vulnere: à S. Sancti contristatione, & rejectione: à scandalo, quod datur infirmis: à metu imminentis judicii Dei: à vindice Dei oculo, &c. *Vnde objurgatio sumenda.*

5. In reprehensione vitiorum, hæc imprimis observanda sunt: 1. Præceptum Pauli: *Eos qui peccant cum publico offendiculo, coram omnibus arguite*, 1. Tim. 5. 20. 2. Absit *prosopolepsia*, seu respectus personæ, ne det veniam corvis, vexet censura columbas. 3. Ne verborum acerbitate aut conuitiis, sed rerum ipsarum & sententiarum gravitate constet. *Observanda in reprehensionibus.*

6. Ne propter privatam offensam, causam propriam agere videatur Concionator: néve privatis affectibus abripi se patiatur; ut magis iracundia commotus, quàm zelo impulsus cognoscatur. Sed objurgationem ita instituat, ut vitiorum, non personarum facta reprehensio intelligatur: ne in absentes invehatur, in præsentes autem sit mutus.

7. Ne culpa redarguat ipsum censorem. Nam rectè quidam: Vita dicentis persuadet, omnis oratio.

8. Ne quid reprehendat pro concione ex incerta relatione, vel suspicione, & de quo nondum certò constet, num ita se habeat res necne.

9. Increpationes & judiciorum Dei denuntiationes, Scripturæ testimoniis muniantur.

Severitas Reprehensionis lenitatis spiritu temperanda.

10. Ipsa Reprehensionis severitas spiritu mansuetudinis & charitatis temperetur, juxta dicta Davidis, *Psal.141.5. Emendet me justus in misericordia, & corripiat me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Et Pauli, *Gal.6.1. Fratres, etiamsi præoccupatus fuerit homo in aliquo lapsu, vos spirituales instaurate ejusmodi hominem cum spiritu mansuetudinis, considerans unusquisq; semetipsum, ne & tu tenteris.* Et *2.Tim.4.2. Argue, objurga, exhortare, cum omni lenitate & doctrina.* Sed minùs offendit, quamvis acris reprehensio, si ex charitate profecta intelligatur: hac adhibita, vel simili formula: Obsecro fratres, cur nos Christianos nominamus? Quæso vos, memineritis comminationum divinarum.

Formula Reprehensionum.

Augustini Regula.

11. Teneatur Augustini regula de peccatis in multitudinem grassantibus: *Non asperè, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo, quàm jubendo, magis monendo, quàm minando.*

12. Commodè autem increpationi spes veniæ & benedictionis divinæ pœnitentibus, subjicitur. Hactenus de Correctione.

DE CONSOLATIONE.

1. Con-

Quibus adhibeatur Consolatio.

CONsolationes sunt adhibendæ adversus afflictiones corporis vel animi. Primò autem considerandus præsens rerum & auditorum status. Nam vel pestis grassatur, vel fames, vel bellum, vel annonæ caritas premit, vel aliqua alia afflictio communis Ecclesiæ incumbit. Vel ex auditoribus alii paupertate, morbis, alii exilio Euangelii causa, alii potentiorum injuriâ gravantur: alii ex bonorum amissione, orbitate, vel suorum charissimorum obitu dolent: alii veritatis & justitiæ causa malè tractantur. Sunt qui animo mœsti sunt ex vocationis suæ laboribus & ærumnis, ex hominum ingratitudine, ex injuriis & calumniis, quibus se ab aliis gravari sentiunt: Alii mora liberationis, sive exauditionis: alii mortis metu & horrore: alii dubitationibus & tentationibus ex propria indignitate, peccatorum conscientia, legis rigore, iræ Dei sensu, illecebris & minis carnis, mundi, Satanæ, à dextris & à sinistris privatim percelluntur; qui omnes consolatione opus habent.

Vnde sumenda consolationes.

1. His igitur malis adhibendæ sunt consolationes, prout textus eas suggeret, sumptæ à Providentia, Sapientia, Justitia, Bonitate, Dilectione, Fidelitate, Cura paterna, Præsentia & Veritate Dei.

2. A bono fine, fructu, utilitate, brevitate afflictionũ; à fidei, invocationis, patientiæ exercitio & probatione, veteris hominis abolitione, mundi hujus tædio, disciplinâ carni necessariâ.

3. Item à rerum humanarum vicissitudine; à piorum sorte in hoc seculo; à consolatione interna, & artha Spiritus sancti, divinæ misericordiæ & charitatis interna luce; à causæ bonitate, infelici impiorum exitu; à communione & conformitate nostri cum Christo.

4. A spe gratuiti præmii gloriæ æternæ; ab inscriptione nostrorum nominum in libro vitæ, ab adventu Christi; à beatæ resurrectionis spe, & meliore defunctorum in Christo amicorum conditione.

5. A Christi propitiatione; à mortis ejus merito, efficacitate, & virtute; præcedentium Dei beneficiorum recordatione.

6. A dulcissimis promissionibus divinis, his vel similibus: *Invoca me in die tribulationis, &c. Psal.50.15. Spiritum contritum & humiliatum non despicis, ô Deus! Psal.51.19. Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, Ezech.18.32. & 33.11. Misericordia Domini super omnia opera ejus, Ps.145.9. Venite ad me omnes qui laboratis, Matth.11.38. Gratia exuberat peccatum, Rom.5.20. Si quis sitit, veniat ad me, Joh.7.37. Quis intentabit crimina adversus electos Dei? Deus est qui justificat. Quis est qui condemnabit? Rom.8.34. Sanguis Christi purgat nos ab omni peccato, 1 Joh.1.6.* & similibus.

7. Tum ab exemplis misericordiæ Christi erga peccatricem mulierem, Publicanos, Petrum, Latronem conversum, & alios.

8. A Consolationibus Sanctorum, & exem-

plis,

plis, tum similium in ipsis afflictionum & tentationum, tum liberationis eorum.

Hac autem vel simili formula uti possumus: Solemur igitur nos: vel, Solamini igitur vos, charissimi, &c. *Non enim decurtata est manus Jehovæ, Esa 59.1.* vel, Confidenti animo dicat unusquisque vestrum: *Dominus est mihi auxiliator, nec timebo quid faciat mihi homo &c. Psal. 118. 6.* vel, Potest igitur quisque nostrum cum Davide dicere: *Etiamsi in umbra mortis incedam, non timebo, Psal. 23.4.* vel, Meminerimus dictorum Christi: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, Matth. 5.3.* vel, Qui ex vobis, afflictionem & persecutionem patiuntur, ii cum Davide ad Deum se convertant: *Jehova, quam multi sunt hostes mei, quam multi insurgunt contra me, quam multi dicunt de anima mea, non est ulla salus isti in Deo, &c. Psal. 3.1.2.3. & seqq.* Et valde utiliter 8. c. ad Rom. à 14. vers. usque ad fin. ad instituendam consolationem adhiberi potest. *Consolationum formula.*

Non censemus autem omnes Locos argumentorum in consolatione, aut etiam in aliis usibus & applicationibus adhibendos esse: sed nunc hos, nunc illos, prout fert textus, & prudens concionator utile fore viderit.

Est autem in hac parte observandum, ut tempestivè & opportunè consolationes adhibeantur; sic nimirum, ut Legis comminationibus impœnitentium corda conterantur, donec agnoverint sine hypocrysi multis modis se reos *Tempestivè adhibenda consolationes.*

esse. Euangelii verò consolationes contritis & perturbatis conscientiis proponantur, juxta veterem rhythmum, Pasce tibi commissum gregem, ante gratiam acue legem. Verè enim dictum est, Ad sanitatem primum gradum esse novisse morbum. Hactenus de Applicatione.

SEQUITUR APPENDIX
De Transitione.

1. Quæ de tractatione unius partis textus exposita sunt, eadem in altera, aut tertia concionis parte valere debent.

2. Quælibet autem pars tractationis, summaria quadam conclusione finiri potest, quæ aditum seu transitionem ad sequentem aperiat.

Transitio quid. 3. Est autem Transitio, vinculum partium tractationis, cum ostenditur quid dictum sit. & quid dicendum sequatur. Id enim auditores reficit, ac veluti recreat & meliùs instituit.

4. In Transitione verò ab una parte ad alteram, sequentis nexûs cum præcedenti ostendi debet.

Transitionis porrò formulæ hujusmodi esse possunt: Postquam ex superioribus intellexi-mus, (quod expositum fuit) jam aliud se offert considerandum in Domini verbis: vel, Atque ut ad illud quod secundo loco propositum est accedamus: vel, Atque ut id fiat; Jam sequentia audiamus: Jam videamus quid nos secundo loco doceat Dominus: vel, Quod ut melius in-

intel-

elligamus, expendamus quod sequitur in textu; vel, Jam ad nostrum Prophetam revertamur; vel, Hactenus illud, nunc sequitur ejus confirmatio; vel, Inprimis autem nobis considerandum quod addit; vel, Jam expendamus quæ sequuntur: Jam subjungit, &c.

DE EPILOGO CONCIONIS.

APH. I.

UT in circulum redeat oratio, Epilogus omnia concludat. Est autem Epilogus finis, seu terminus totius concionis. *Quid Epilogus.*

APH. II.

Sunt autem Epilogi duæ præcipuæ partes: 1. Recapitulatio, quæ est summaria repetitio capitum, id est, partium principalium & præcipuarum doctrinarum, vel argumentorum, quæ copiosiùs in concione tractata sunt; hoc fine, ut meminerint auditores, quid retinere, & secum domum referre debeant. Si quid tamen magni momenti, lapsu memoriæ fortè exciderit, & commodè alio in loco inseri non potuerit, id hoc loco, quasi postliminii jure restituui potest. *Epilogi partes.*

2. Admonitio seu cohortatio vehementior, seu accommodatio, qua excitamus auditores, ut quæ dicta sunt, animis fidelibus reponant, & ad eorum præscriptum vitam suam componere studeant, adhibitâ hac vel simili formulâ: Itaq; ut absolvamus, animadvertamus, aspiciamus, *Epilogorum formulæ.*

demus operam, ut ex iis quæ dicta sunt proficiamus; Hæc igitur omnia consideremus, quæ à nobis dicta sunt; vel, Itaque fratres hæc seriò cogitemus; vel, Curemus ne doctrinarum, quæ propositæ sunt, memoria nobis effluat; & similibus.

Affectus in Epilogo qui moveantur.

Adhiberi etiam admonitioni motus quidam debet: vel à futuro bono propter Christum nobis conferendo, tam hujus temporalis, quam vitæ æternæ, si obtemperemus: vel damno, si non pareamus. Bona autem & damna illa colligenda sunt, quoad ejus fieri potest, ex præsenti textu, & concludenda est tota concio, vel dehortatione à malo: vel adhortatione ad bonum.

APH. III.

Vitanda in Epilogo tædiosa prolixitas.

Cavenda in Epilogo tædiosa prolixitas: ne videlicet integram concionem cum minutioribus partibus repetamus.

Quinam peccent in Epilogis.

1. Peccant igitur, qui ab Exordio accessorio, id est, aliunde quam ex ipso textu desumpto, Epilogum repetunt, & ita Exordium perorationi, id est, caput pedibus involvunt.

2. Peccant & illi, qui vel nova, vel aliena ab iis quæ dicta sunt proponunt, nisi per digressionem ad necessariam & convenientem præsenti tempori admonitiunculam aliquam consultò institutam faciant.

3. Peccant etiam ii, qui eorum quæ dicturi sunt sequenti concione, prolixa recitatione auditores gravant: & Epilogum præsentis concionis

ionis, in Exordium, seu Propositionem sequen-
is convertunt; tantum non illud Poëtæ facti-
tantes:

Laudat venales qui vult exponere merces.

APH. IV.

Coronidis vice addi potest, vel *doxologia*, hoc
est, gloriosa celebratio nominis divini, hoc, aut
simili modo, Deo Patri per Christum, sit laus,
honor & gloria, nunc & in secula: vel votum
seu precatio: Deus det, ut quæ audivimus, al-
tè cordibus nostris inhæreant, & fructum mul-
tum ferant, Amen. Hactenus de tribus Eccle-
siasticæ concionis partibus.

APPENDIX.

Etsi Spiritus Sanctus, qui loquitur per os
servorum suorum, nullis legibus alligatus est,
sed quò vult, & quo modo vult, id est, libero
motu spirat, Joh. 3. v. 8. nec ab omnibus forsan
hæc præcepta ad amussim observanda censen-
tur; tamen certum est eundem, ordinis, qui ad
ædificationem facit, non confusionis esse
authorem. Hæc de concio-
num forma.

TRA-

TRACTATUS II. DE ORNATU ET DECORO SACRARUM CONCIONUM.

DE DECORO IN CONCIONIbus sacris servando.

Decorum in concionibus servandi.

PRæceptum est Apostoli *1.Cor. 14. v. 40.* ut *Omnia decenter & ordine fiant:* quod si de Ecclesiasticis actionibus intelligendum est, in primis quidem in sacra actione concionandi, quæ omnium Ecclesiasticarum potissima est, observari debet. Non enim satis est benè & ordine quid facere, nisi venustè & decorè fiat: quum illud vulgare etiam hîc locum habere debeat, Caput artis est, decere quod facias. Postquam igitur de ordine concionum à nobis dictum est, consequens est ut de iis, quæ ad decorum, venustatem & ornatum earum pertinent.

APH. I.

Decori partes.

Decorum concionum sacrarum consistit in tribus; Sermone, Memoriæ firmitate, & Actionis dignitate.

DE SERMONE SACRArum Concionum.

Qualis sermo.

QUi loquitur in Ecclesia Dei, præsertim loquatur eloquia Dei, id est, iis verbis, quæ decent

decent eloquia Dei, 1.Pet. 4. 11. Non autem, ut monet Paulus 1.Cor. 2. 4. persuasoriis humanæ sapientiæ, sed quos docet Spiritus sanctus: Sic nimirum, ut verba rebus sint accommodata, & cùm res sint spirituales, verba quoque spirituaria adhibeantur.

Sit igitur spirituale docendi genus à Spiritu sancto profectum, qui simplicis sermonis gravitate gaudet, ab omni verborum fuco & lenocinio remotum. Quamobrem de se dicit Apostolus 2.Cor. 11. 6. quòd si sum rudis sermone, non tamen sum rudis notitia. Et 1.Cor. 1. 17. negat se euangelizasse cum dicendi peritia, cum sapientia sermonis; id est, negat se more mundanorum oratorum sollicitum fuisse de verborum pompa, & orationis pigmentis, de verbis atque sententiis, quibus orationem suam exornaret, ut probabilem redderet. Et 1.Cor. 2. 1. dicit se non venisse cum eminentia facundiæ & sapientiæ: sed usum esse genere dicendi simplici, & ad docendum non autem ad delectandum accommodato. Non quod defuerit illi sua vis & sortia in dicendo, quanta nulli unquam obtigit, sed cœlestis, non humana, & à fucatis illis amitiosæ Rhetoricæ coloribus prorsus pura, & omninò ab eloquentiæ affectatione aut ostentatione aliena: Nempe, ut idem inquit, ne inanis redderetur crux Christi in animis auditorum, hoc est, ne doctrina de cruce Christi evanesceret, ac sine fructu audiretur. Quia dum

Sermo Pauli qualis fuerit.

animus

Nimius cultus sermonis quid detrimenti adferat.

animus intentus est ornamentis oratoriis, ut vel delectet dicendo, vel delectetur audiendo, negligitur doctrinæ nucleus, de cruce Christi, in quem solum animus concionatori & auditori intendendus est. Deinde Euangelio adimitur proprium suum effectum, nempe fides: dum sc. fides eloquentię concionatorum adscribitur, vel auditores putant se humanæ facundiæ vi ad Euangelii professionem adductos.

Legitimus Rhetorices usus.

Non tamen propterea legitimus Rhetorices usus est improbandus, quatenus nimirum adhibetur modestè ac verecundè ad Ecclesiæ ædificationem, observatis sequentibus Regulis.

I. CANON.

Sermo sit vulgaris.

I. Sit sermo concionatoris, non peregrinus, obscurus, argutus: sed vernaculus, usitatus, vulgaris, clarus, perspicuus, popularis, qui à doctis simul & indoctis, etiam infimis ex plebe intelligatur. Non enim minor est virtus populariter, quàm arguté loqui.

Peccant qui peregrina lingua utuntur.

Non probantur igitur, qui Hebræam, Græcam, aut aliam linguam vulgo ignotam in concione ostentant, nisi cùm vel in Hebræa, vel Græca lingua latet aliqua emphasis; vel necessitas explicandi textum, aut refutandi adversarios id requirit; vel cùm dictum alienæ linguæ, maximè Latinæ, est breve & admodum præclarum, & multi ex auditoribus id intelligunt. Peccant etiam qui Latinis testimoniis vel sententiis intermixtum sermonem habent.

CAN.

CAN. II.

II. Utatur etiam concionator Tropis & Figuris, pro rei quam tractat, qualitate: in exhortationibus maximè, & dehortationibus, pietati & rerum sacrarum majestati convenientibus: Ejusmodi sunt Interrogatio; Exclamatio; Indignatio; Obtestatio; Repræsentatio, seu rei penè sub aspectum subjectio; personæ effictio, & similes: in quibus præcipua est vis ad motus animorum concitandos. Elegantes enim tropi non obscurant, sed illustrant sententiam.

Figuratus sermo pro rei qualitate adhibeatur.

CAN. III.

III. Probatus erit sermo, si ex verbis vernaculæ linguæ eligantur ea quæ maximè sunt pura, propria, benè sonantia, quæque quàm optimam significationem habent. Contrà spurca, crassa, barbara, obscura non modò: sed & abjecta, & vilia, & scurrilia rejiciantur, quando de rebus sacris & magnis sermo habetur. Quod si quædam quibus offendi aures possunt fuerint necessariò attingenda, ita circuitione utatur concionator, ut auditor plura intelligat, quam audiat: qua modestia Spiritus sanctus in Scripturis utitur.

Sermo constet puris & benè significantibus verbis.

CAN. IV.

IV. Concionator non congerat multa synonyma: nec singulis verbis ferè addat epithesa Poëtarum more, nisi cùm peculiaris emphasis id requirit. In Synoymis posterius quódque priore semper sit gravius & significantius. Non

Non sit verbosus.

sit

ſit verboſus: abſit odioſa tautologia, & copia illa ſermonis, quæ habeat plus verborum quam rerum: verbis utatur gravibus, emphaticis & ponderoſis: & ſtudeat ut in ſingulis verbis ſingulæ quaſi ſententiæ lateant.

CAN. V.

Sermo ſit benè conſtructus.

V. Verba concinnè ſint conſtructa & ita collocata, ſicut ſermonis quotidiani uſus poſtulat, ut nimirum neque ſint involuta & intricata, aut nimis negligenter aut ambitiosè huc & illuc trajecta: quod multi ex affectatione quadam venuſtatis facere ſolent, quorum ſermo Scribarum ſtylo ſimilior eſt, qui Latinum ſcriptum linguâ vernaculâ aliis prælegunt. Rectè ergò Hieronymus ad Damaſum: De rebus ſacris tractanti pedeſtris oratio neceſſaria eſt, non quæ verborum compoſitione frondeſcat.

CAN. VI.

Periodi ſint breves.

VI. Periodi ſint breves, perſpicuæ, & ſine parentheſibus, quantum fieri poteſt, ut auditores faciliùs ſententiam percipiant: in quo impediuntur, ſi periodi ſint longæ, circumductæ & trajectæ, quales ferè in cancellariis, quas vocant, uſurpari ſolent.

CAN. VII.

Sermo nõ ſit poeticus, turgidus, aulicus.

VII. Non ſolùm à poëticis loquendi modis abſtinendum, ſed à pompoſa, turgida, redundante, grandi, aulica illa dicendi ratione, quâ ſermonem ſuum nonnulli perpetuis & continuatis quibuſdam Metaphoris, ſeu Allegoriis

ſic

c obſcurant, ut à plebeis vix intelligi poſſint.

CAN. VIII.

VIII. Neque tamen ad objectam illam & *Sit gra-*
rilem loquendi rationem, quâ infima plebs uti- *vis.*
tur, ſe aſſuefaciat concionator: ſed potiùs ſer-
monem prudentum & peritorum imitetur, &
verborum & phraſium copiam ex eorum qui
benè ſcribunt vel loquuntur, lectione & auſcul-
tatione comparet.

CAN. IX.

IX. Inprimis accedat ſanis ſermonibus Do- *Sit ſa-*
mini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum *nus.*
pietatem eſt, doctrinæ, 1. Tim. 6. 3. hoc eſt, uta-
tur phraſibus & formulis loquendi, quæ vel ex-
preſsè, & ad verbum, vel per æquipollentiam in
ſcripturis continentur, & retineat formam ſa-
norum verborum, 2. Tim. 1. 13. Eſt enim Dei gra-
viſſima comminatio Eſa. 8. 20. *Ad legem & teſti-*
monium: quod ſi non dixerint ſecundum verbum hoc,
non erit eis matutina lux. Et Chriſtus ait, Joh. 10.
4. 5. *Oves meæ vocem meam audiunt, peregrinam*
non agnoſcunt; hoc eſt, nec ſectantur, nec appro-
bant: Quapropter ſacras literas frequenti & aſ-
ſidua lectione ita ſibi familiares reddat, ut pro
concione magis ſacræ ſcripturæ verbis & phra-
ſibus, quàm ſuis utatur.

CAN. X.

X. Eſt etiam diligentia digna Concionato- *Cum Ec-*
re, & ad fovendam concordiam utilis, ut ſtudeat *cleſia lo-*
imitare verba ambigua, dubia, & quæ in utrám- *quenda.*

que partem possunt usurpari. Verè enim monet versiculus ex ambiguis oriri dissensiones & falsas opiniones, qui sic habet,

Erroris genitrix est æquivocatio semper:

Tum obscura, quæ in usu esse desierunt: tum voces temerè novatas, vel exotericas, peregrinas, & recens excogitatas, & confictas ad serendas & propugnandas falsas opiniones, tum profanos de rebus inanibus clamores, 1.Tim. 6. 20. & 2.Tim. 2. 16. tum denique dictiones improprias, vel quibus affingitur inaudita & nova significatio.

Det autem operam ut retineat voces & phrases seu formulas loquendi, gravi authoritate in Ecclesia approbatas & usitatas, quia decet cum Matre Ecclesia loqui. Et mutatio (sermonis scilicet) aut errores, aut suspiciones & dissidia parit. Gravissimè enim sunt hæc à beatæ memoriæ Luthero dicta; Qui novum sermonem fingunt, novam doctrinam gignunt: Quicunque in sacris mysteriis novas phrases comminiscuntur, iidem novas res edunt; &, Mutato genere dicendi, novum genus docendi introducitur; & denique, Monstri aliquid alit, qui obscurè, vel ambiguè in Ecclesia loquitur. Proinde sermonis sensus, inquit Gregorius, sit verax, non fallax & ambiguus; sit etiam dulcis, quia plerumque veritas auditori amara efficitur, ubi dulcedo nomo est in verbis loquentis.

CAN. XI.

Dicere

Dicere vis copiosè & benè, fac copiosè & benè intelligas: tum animo in singulis præsentè pondera, libra, moderare verba singula & dictionis stylum, & sic sermonem tempera, quasi & simplicissimus & perfectissimus sit auditor. Hæc de Regulis Elocutionis Ecclesiasticæ.

Ne lingua præcurrat mentem.

Reprehendendi sunt igitur, qui in superiores canones peccant. 1. Qui finem dicendi facerè non possunt: sed sicuti navis ventorum impulsu concitata, etiam velis contractis non subsistit, ita ipsi quoq; certo quodam impetu incitati cursum continuant, & licet materia dicendi illis desit, tamen idcirco non desinunt: sed aut iam antea dicta denuò inculcant, aut quicquid in buccam venit temerè effutiunt, parum illius Ciceroniani memores; Modum dicendi non esse penes dicentem, sed penes audientem.

Quinam peccent in sermonem.

Nimiùm prolixi.

2. Sed nec illi probantur, qui habenas orationis nimiùm contrahunt, juxta illud,

Dum brevis esse laboro,
Obscurus fio.

Nimis breves.

3. Sunt & illi reprehendendi maximè, tum qui falsò ratiocinando, sermonis probabilitate, seu falsa Logicâ & Rhetoricâ, id est, ratione sophistica, & ad persuadendum comparata fallunt, ad Col. 2. 4. Tum qui per blandiloquentiam & assentationem corda hominum, maximè malorum, seducunt. Quibus artibus solent præcipuè uti falsi doctores & assentatores, ut simplices fallant, Rom. 16. 18. Tum etiam vaniloqui

Sophista.

Assentatores.

Vani.

loqui & mentium deceptores, ad Tit. 1. 10. In ſumma, ſi concionator ſolius Dei gloriam quærat, & Eccleſiæ ædificationem ſpectet, utili perſpicuitati & ſimplicitati ſtudebit. At qui contra faciunt & ſuam quærunt gloriam, pompam orationis ſectantur, quærentes quò apud imperitos in majori ſint pretio. Hæc de prima parte ornatûs concionum: ſequitur de Memoria.

DE MEMORIA.

Quoniam jam more ferè apud omnes receptum eſt, ut memoriter coram auditoribus conciones habeantur, qua ratione tyrones eas commodè memoriæ mandare poſſint, dicendum videtur.

APH. I.

Rei dicendæ Idea animo concipienda.

Nullus unquam ſermo inchoandus, niſi priùs ejus, de qua dicendum eſt, rei formam & Ideam animo conceperimus. Sic enim oratio noſtra partus erit legitimus, non abortus, nec lingua præcurret mentem.

APH. II.

Memoria juvatur exercitatione, arte, induſtria.

Memoria, quæ eſt firma rerum verborúmque animo perceptarum recordatio, etſi eſt naturalis animæ facultas, in aliis major, in aliis minor, tamen plurimum Exercitatione, Arte ſeu præceptis quibuſdam, atque Induſtria juvatur.

APH. III.

Exercitatio Ars memoriæ

De exercitatione hoc veriſſimum eſt:

Sæpè recordari medicamine fortius omni.

Quod

APH. IV.

Quod ad artem attinet, non eſt contemnenda eorum ratio, quæ recordandi cauſa, docet uti Locis, Imaginibus, & tum Locorum tum imaginum collocatione: quæ ratio, Artificialis memoria vocari ſolet. De his tribus igitur ordine quædam dicenda ſunt.

DE LOCIS.

I. Loci ad memoriam conferentes ſunt, ut palatia, templa, amplæ ædes, ſive reipſa exiſtentes, & nobis probè notæ, ſive animo noſtro conceptæ: & in iis cubicula quadrata, ordine diſpoſita, ſed diſſimilia formâ, ut diſtinctè interlucere poſſint, magnitudine modica; & in iis, cubiculis ſcilicet) parietes ſeu latera quatuor, ubi oppoſita; tum in quolibet pariete, partes ſeu regiones, ſeu anguli quatuor vel plures, reipſa, vel cogitatione certis intervallis diſtincti, ſed nudi ſeu vacui, ne ſi quid habeant inſigne & notabile, obruat quod eis fuerit commendatũ. In his igitur notæ ſeu imagines collocantur. *Loci ad memoriam conferentes.*

II. Imagines ſunt ſimulacra, ſeu formæ quædam, ſimilitudines & notæ inſignes & convenientes, animo conceptæ, vel verborum, vel rerum earum, quarum meminiſſe volumus; ſunt-que inſtar vocabulorum majuſculis literis deſcriptorum, colore aliquo inſigni memoriam excitantium: Nam ſicuti nihil eſt in ulla lingua, quod 24. literis non exprimatur, ita nihil eſt, quod imaginibus mentis acie conceptis memo- *Imagines memoriæ cauſa inſtitutæ.*

riæ repræſentari non poſſit. Sicut olim Ægyptii pro literis, dictionibus & ſententiis, pingebant ſeu ſculpebant animalia, petras, herbas & ſimilia, conſiderantes aliquam analogiam, ſimilitudinem ſeu proprietatem inter imaginem ſignificantem, & rem ſignificatam; ut pro anno pingebant ſerpentem caudam mordentem & ſimilia: quæ imagines ſeu figuræ, literæ hieroglyphicæ, id eſt, ſacræ ſculpturæ vocabantur.

Collocatio imaginũ ad juvandam memoriam.

III. Imagines autem illas acie mentis illis locis parietum applicare & veluti affigere, & ordine, quo res illas ſignificatas ediſcere & recitare volumus, diſponere oportet: tum juxta locorum ordinem eas ſerie quadam connectere, & celeriter oculis mentis perluſtrare. In quo ſi operam demus, non erit magis difficilè in locis illis parietum mente legere, quam ſi oculis exterioribus ex figuris literarum, dictiones etiam polyſyllabicas, integraſque ſententias celerrimè colligeremus. Hæc eſt ſumma memoriæ artificialis.

ADMONITIO.

In ſeriis ſtudiis tantùm utendum memoria artificiali.

Monent autem hujus artis periti, non eſſe ea utendum in quolibet ſtudio quotidiano, ſic ut ſingula quæ quis legerit, per artem hanc memoriæ velit ediſcere; ſed potiſſimùm in ſtudiis magis ſeriis & neceſſariis, ut in Sacrorum Bibliorum & maximè Hiſtoricorum lectione.

Vacatio mentis

2. Monent etiam hic requiri vacationem & tranquillitatem mentis, ſeu animum ab aliis co-

gita-

itationibus & curis liberum, ne per occupationem exteriorem & intensionem in res varias, aut animi peregrinationem, vis memoriæ distrahatur. Nam ut dici solet,

requiritur.

Pluribus intentus minor est ad singula sensus.

3. Monent præterea eum qui memoriæ mandare velit, mansuetum, sedatum & sobrium esse debere: ne mœrore, irâ, metu, impatientiâ, amore, exultatione, aut alio affectu vehementione turbetur, neve superfluis humoribus & fumis sensus ejus interiores obruantur.

Mens ab affectibus libera requiritur.

4. Addunt memoriæ amicum esse matutinum tempus, & quietum.

Matutinum tempus memoriæ amicum.

5. Denique oportere ajunt ut quis sollicitudinem apponat, & studium adferat ad ea quæ vult meminisse. Nam quantò aliquid magis fuerit impressum animo, tantò minus elabitur, inquit Thomas 2. 2. q. 49.

DE ORDINE, NUMERO ET SCRIPTIONE, QUIBUS MIRE Memoria juvatur.

ORdo Memoriam maximè juvat. Fieri enim non potest, ut qui peritè rerum transmandarum ordinem instituit, ac earum puncta attentè distinguit, observat & veluti numerat, ac scriptis mandat, quin eadem facilè mente retineat, ac quasi repositum ab eadem reposcat illicturus. Verè enim Bernhardus, Quod particulatim distinctum fuerit, legitur & auditur dul-

De industria juvande memoria.

Ordo, numerus, memoriæ juvant.

ciùs, & meliùs conſervatur; & Memoriæ, ordo maximum lumen affert, inquit Simonides. De his igitur ſequentia pręcepta obſervare proderit.

PRÆCEPTUM I.

Textus memoriæ imprimitur.

1. CONcionator, ut ſeriem concionis ſuę obſervet, memoriter textum probè teneat, mentis oculis ad ſingula ejus membra & verba concionis ſuæ filum, tanquam ad ſtatuam aliquam Mercurialem, dirigat: ſic non facilè memoria labetur, & ſi quando titubet & impingat, tamen mox ſe ſe ductore Spiritu S. eriget.

PRÆC. II.

Ordo & numerus inſtituì debet.

2. Caput eſt, ut concionator, 1. rem de qua dicturus eſt, accuratè perpendat, & clarè atque exactè intelligat. 2. Locos, ſeu partes concionis in numero habeat: primùm majores, deinde minores. 3. Locorum tractandorum ſectiones & ſectionum particulas inſtituat, quas etiam certo numero complectatur. 4. Certis in locis Digreſſiones, Reprehenſiones, Conſolationes, & Exhortationes aſſignet. 5. Diſpoſitionem ipſam partium, & in ſingulis partibus argumentorum, teſtimoniorum & exemplorum ordinem, & locorum ſive doctrinarũ ſeriem, adeóque ſtructuram concionis probè animo comprehendat. 6. Singula ſic diſpoſita ordine, memoriæ mandet. 7. Res animo teneat, liberum ſibi inter dicendum relinquat verborum delectum. Nam ut dici ſolet,

Verbaque prævisam rem non invita ſequuntur.

3. Eſt

PRÆC. III.

3. Est & hoc bonum memoriæ subsidium, ut in commemorandis multis rebus, conjungamus ea, quæ cognationem & similitudinem habent, & quasi gradatim ab una ad aliam transeamus. *Cognata conjungenda.*

PRÆC. IV.

4. Quando concio habenda est, memoria in multis aliis rebus temerè non oneretur: sed iis tantùm, quantum fieri potest, sit intenta, quæ ad rem præsentem faciunt. *Memoriæ præsenti tantùm rei sit intenta.*

PRÆC. V.

5. Sunt qui ut memoriam juvent, partes generales inter meditandum notant digitis: partes autem speciales, sive sint subdivisiones, sive doctrinæ, assignant articulis digitorum manus sinistræ, (quia dextra magis in actione occupatur) & ab iis, tanquam loculis, inter concionandum veluti commissa repetunt, digitum erigentes, in cujus commissi explicatione versantur, reliquis compressis, deinde etiam suo ordine diductis. *Digitorum usus interdum adhibetur.*

PRÆC. VI.

6. Juvabitur etiam memoria non parum, si utamur periodis brevibus & perspicuis, nulla verborum trajectione implicatis. Quæ enim prolixæ, obscuræ, circumductæ, intricatæ, trajectæ sunt, memoriæ minùs sunt accommodatæ. Et hæc observatio non tantùm concionatoris memoriam, sed etiam auditorũ intelligentiam juvat. *Periodi breves.*

Meditatio attentè concionem precedat.

7. Tyro pridie ejus diei quàm habeat concionem, ſatis antè paratus, veſperi vel manè ante concionem plura nec legat nec meditetur: ſed in iis tantùm quæ animo & memoriâ concepta habet ſeſe exerceat, ne memoriam aliarum rerum meditatione, aut lectione turbet. Hactenus de ordine & numero.

DE SCRIPTIONE.

ETſi illud verum eſt, quod minùs elegantibus, quàm veris verſiculis fertur,

Cordi, non chartæ tradas quæ noveris antè,
Nam ſi charta cadit, mox tota ſcientia vadit;

tamen quia pauci inveniuntur, qui ea ingenii dexteritate & memoriæ felicitate polleant, ut aliquo ſchediaſmate & adverſariis quæ vocant non utantur, ſcriptio ſeu conſignatio concionis haud negligi debet. Ad quam rem accommodari etiam poteſt illud ad *Philip. 3. 1. Eadem ſcribere vobis, me quidem non piget, vobis autem tutum eſt.* Et Suetonius refert, Cæſarem Auguſtum ſermones etiam cum ſingulis graviores, non niſi priùs ſcriptos habere ſolitum, ne plus minúsve loqueretur ex tempore quàm oporteret. At multò æquius eſt legatum Dei cavere in Eccleſia ne verba inconſiderata, nec conſignata temerè profundat. Quare ſæpe illud Demonſthenis cogitandum eſt dicentis, Sibi improbum & patriæ perniciosum civē videri, qui de re non antea diu multúmque cogitata, ad dicendum accederet.

Scriptio ad memoriam utilis.

DE

DE USU SCRIPTIONIS S. CONCIONUM.

CErtum est enim ex manicis, ut dici solet, conciones excuti non posse. 2. Facilius mens tenet, quod manus antè notavit. 3. Diligentiâ scriptionis facultas dicendi de rebus sacris augetur. Deus enim huic sedulitati benedicit. 4. Ratio aptè connectendi verba & periodos accuratior observatur. 5. Verba, & phrases emphaticæ notantur diligentiùs. 6. Quando verò in mores auditorum, vel contra doctrinam adversariorum, vel in eorum præsentia dicendum est, id priùs diligenter non tantùm præcogitatum, sed etiam in charta consignatum habere prodest; partim, ne ædificare volentes Ecclesiam, eam nostra præcipitatione destruamus; partim, ne temerariâ verborum profluentiâ, nobis ipsis periculum creemus; partim etiam, ut si opus fuerit, dictorum meminisse certiùs, & rationem reddere possimus. Néque enim concionator sic affectus esse debet ut M. Anton. qui, ut Cic. pro A. Cluentio refert, causas quas egit non scripsit, ut si quid noxium reo attulisset, à se non dictum affirmare posset.

Vsus scriptionis.

REPREHENSIO.

Peccant ergo, qui vel facultate dicendi freti, vel ex ignavia, nihil prorsus scribunt, sed ut in mentem venit, de rebus gravissimis non satis meditatè in conspectu Ecclesiæ, adeoque ipsius Dei, & Sanctorum Angelorum ejus, ad dicendum

Reprehendique scriptionem negligunt.

dum accedunt. Quod faciunt audaces & temerarii, de quibus verè dicitur: Inscitia est audax & temeraria.

Plurimùm etiam memoriæ suæ officiunt, qui hinc inde ex diversis autoribus, & quidem sine judicio, sententias & doctrinas corradunt, eásque in charta ordine non conscribunt; sed ut sese offerunt & possunt, memoriæ mandant, & temerè suis auditoribns recitant.

Scriptionum gradus tres.

Contra laudandi, qui vel saltem summa capita, seu Synopsin sive dispositionem concionis, omissis argumentis, testimoniis & exemplis consignant; id est, qui partes & membra concionis, veluti in tabulam redigunt, & eam sibi veluti uno intuitu conspiciendam propositam habent. Vel, qui non tantùm dispositionem & doctrinas præcipuas, sed etiam partium & doctrinarum argumenta, testimonia & exempla diligenter annotant: verborum autem & phrasium inter dicendum liberum usum habent. Optimè tamen faciunt tyrones, qui integras cōciones ad verbū conscribunt, & sic scriptas animo concipiunt, & memoriæ infigunt. Quod etsi nō exigui laboris, nec cujusvis, nisi felicissimæ memoriæ præstare; placebit tamen consuetum, quod durum videbatur. Nam certum est, omnia usu fieri leviora. Sed nos eorū studium imitandum censemus, de quibus 2do loco diximus. Nā animꝰ liber in verbis, est magis pręsens & ad res ipsas intentus, & pronuntiatio actioq; talē animi libertatē sponte sequitur.

DE

DE IIS QUÆ IN SCRIPTIONE SACRARUM CONCIONUM sunt obſervanda, ad juvandam memoriam.

CANON. I.

QUi conciones ſcribunt, attenti ſint in ſcribendo, quid, quo loco paginæ inſcribant, & ſcribendo ſimul memoriæ infigant: Sed dent operam ne multa folia impleant. Quicquid enim multum & numeroſum eſt, memoriam conturbat & impedit. *Attenta ſit ſcriptio.*

CAN. II.

1. Qui tum generalem, tum ſpecialem concionis diſpoſitionem annotat, tum doctrinas etiam conſignat, ſtudeat ne illas continuis lineis contractim conjungat, ſed interſectis à ſe invicem quodam interſtitio ſeparet. 2. Et in margine ſcripti partes eas, tum majores tum minores: ſive titulis, ut Exordii, Propoſitionis, Doctrinæ, Conſolationis, Reprehenſionis, & ſimilium: ſive notis numerorum, 1. 2. 3. aut ſingularum literarum, A. B. C. ſive characteribus ſibi familiaribus, à fronte ſingularum partium, membrorum, & doctrinarum notet & diſtinguat. 3. Tum repetendo animadvertat, quid apud ſingulas notas, aut literas commiſerit, ac demum ordine juxta diſtinctiones factas, ediſcat, & à ſingulis notis depoſitum repoſcat. *Sit ſectione diſtincta.*

CAN. III.

Non parum juvatur, & confirmatur memoria *Veſtigiis*

Scripti insistendum.

ria tyronis, si iisdem quib. scripserit chartis ediscat, & si inter recitandum, ad singulas quasi lineas, vel sectiones, vel saltem facies paginarum, oculos mentis convertat. Sequitur enim vestigiis quibusdam memoria, & velut oculis, non paginas modò, sed versus propè ipsos intuetur.

CAN. IV.

Quæ difficilius inhærent, signis quibusdam notanda.

His quæ difficiliùs memoriæ inhærent, prodest aliquas notas, seu imagines convenientes apponere, & eas sæpe repetere, ut earum recordatione commoneatur & quasi excitetur memoria. Nemo enim tam stupidus & obliviosus est, ut quod cuiq; loco marginis signum apparens, seu astrum aliquod, veluti affixerit, ex memoria deponat. Plurimum autem signis exicitatur memoria: & ex una memoria alia recurrit.

CAN. V.

Scripta inambulando nō sunt memoriæ mandāda.

Non est probandus eorum mos, qui concionēs jam consignatas inambulando memoriæ mādare student. Nam & vertiginem capitis hoc parit, præsertim cum versantur in loco angusto, ubi conversiones fiunt crebriores, & memoriam, quæ cum tempore tandem fatigatur, obtundit & hebetat. Equidem dum meditamur adhuc, aut etiam ruminamus concionē, memoriæ jam mandatam, moderata uti licet inambulatione; sed cum eam initiò memoriæ mandamus, quietè id facere consultius est. Sic enim faciliùs, citiùs, & firmiùs mandata hærere solent.

CAN. VI.

Expe-

Expedit etiam ut concionator, postquam concionem scriptis mandavit, eam attentè legat, & rursum vesperi antequam eat cubitum, non minori attentione relegat, nec post illam cogitationem vel lectionem, aliud ampliùs animo verset, sed ad quietem se componat. Tum si fortè noctu excitatus fuerit à somno, eam ruminet; multum enim nox interposita firmitatis affert memoriæ; Unde Catonem illum Majorem refert Cic. l. de Senectute, solitum memorare vesperi, quid quotidie dixisset, audivisset. Denique mane eandem denuò relegat; ut si quid, quod sit in scripto annotatum, memoriam fortasse præterierit, aut non ita commodè complexus fuerit, emendare adhuc possit, antequam suggestum conscendat.

Vesperi & mane relegenda scripta concio.

CAN. VII.

Tyrones conscribant conciones vernaculo sermone; tum, ut in ejus puris verbis & phrasibus se exerceant; tum, ne in habenda concione publica hæsitandum, mox non occurrunt vernacula quibus latina commodè reddant, vel latina cum vernaculis misceant, vel vernacula ex latinis corrumpant. Ubi autem exercitatiores fuerint, latinè, brevitatis causa, conciones consignent.

Tyronib. vernaculo sermone scribendæ conciones.

CAN. VIII.

Conscribendæ sunt conciones, non multo antè tempore, sed paulò antequam habeantur, maximè exercitatioribus. Quia utiliùs doctrinæ possunt auditoribus accommodari, & meditatio-

Quo tempore scribendæ conciones.

tationes in officio occupatis, magis seriæ sunt; feliciúsque succedunt; & denique faciliùs quæ consignata sunt, tanquam recentia adhuc, memoriæ mandantur.

CAN. IX.

Iuvat memoriâ solitaria meditatio.

Postremò, ad confirmandam memoriam non parum confert, si concionem probè concinnatam, & aliquoties lectam, etiam memoriâ comprehensam rumines: non in loco publico, ne aspectu occurrentium objectorum turberis, sed solitario, ab aliorum conspectu & strepitu remoto. Item, si ruminando, aut etiam clara voce recitando, tibi imagineris auditores præsentes, & templum in quo tibi habenda erit concio, atque ipsum suggestum. Sic enim fiet ut majori animi præsentia, ac firmiori memoria, postea concionem habeat.

APPENDIX AUDITORIBUS OBSERVANDA.

Auditorum officium.

Non parum proderit ad multa retinenda, ex iis quæ viva voce audimus, si textum diligenter prævideamus, dicentem attentissimè auscultemus, & studiosè tractemus audita. Quæ omnia quanti sint momenti, ipsa experientia certissima rerum magistra comprobabit. Hactenus de memoria, secundo ornamento Sacrarum concionum. Sequitur de tertio, nempe

DE ACTIONIS DIGNITATE.

APH. I.

De Pro-

Vocis gestúsque apta & decora moderatio, est

est veluti vita concionis, quæ Pronuntiatio & Actio nominatur, & plurimum dignitatis & venustatis orationi confert. Dividitur in figuram vocis, quæ specialiter Pronuntiatio, & gestum corporis, qui propriè Actio dicitur.

nuntiatione seu Actione.

DE PRONUNTIATIONE.

APH. II.

Vox sit non exilis & muliebris: sed fortis & mascula, quantum natura ferre potest, quæ aures sono impleat. Non tremula, sed firma, certisque periodis & intervallis distincta; non ejusdem semper toni, sed flexibilis, quæ se concioni accommodet, & modò gravis, modò remissa sit.

Vox qualis esse debeat.

Pronuntiatio igitur nō sit continua vociferatio: non iracunda, non affectata, qualis eorum qui naturalem vocis suæ sonum, in alium prorsus diversum ac fictum inter concionandum mutant; non quasi cantillans, nec instar mendicantis quasi flens; non accentum monasticum referens: non clamosa, aut elata in unius vocis pronuntiatione, quæ nullam præ cæteris peculiarem contentionem requirit; non justo vehementiùs, & ad ravim usque vel extra vires exalsata, rursumque ita depressa, ut exaudiri ab auscultantibus non possit: non rauca & aspera, quę stridorem rotarum in plaustris imitetur; non sit rita, præceps & velox, quasi rota in gyrum celeri motu & impetu acta: non lenta, tarda, nimis languens, aut somnolenta, instar ejus qui rerum omnium sit satur, aut nondum bene à somno

Pronuntiatio, temperata.

excitatus: non sit coacta, qualis eorum qui peculiari quadam cum ejulatione suspiria imo pectore mittunt & anhelant. Nam vox summa frangi periclitatur, nec est urgenda vox ultra vires & naturam, inquit Quintilianus: Sed sit mediocris, gravis, decens, clara, modesta, suavis, spontanea, naturalis, id est, ut fert natura dicentis, quæ omnium gratissima est, & spiritu sive anhelitu ad commata, cola & periodos accommodata, & ita temperata ut non multũ à familiaris colloquii sono recedat: ita tamen, ut pro applicationum ratione, vel assurgar, vel descendat.

APH. III.

Vocabulorum rotunda Pronuntiatio.

Inter concionandum oscitatio omnis, & somnolentia vitanda est: ne oscitantes & somnolenti reddantur auditores: Literæ & syllabæ cum convenienti sono & dulcedine absque sibilo proferendæ sunt: Nec tamen vocum syllabæ numerandæ, ut faciunt Pædagogi, qui pueros literas conjungere & syllabas numerare docent. Sed nec verba, vel manducantium instar dentibus conficienda sunt, vel ea inter se conglomerata & compacta famelicorum instar deglutienda. Non etiam quasi impingente lingua balbutiendum est ac diu hæsitandũ donec aliquod verbum invenias: Non sunt absorbendæ ultimæ syllabæ, aut literæ; aut voces supervacaneis literarum aut syllabarnm additionibus augendæ: nec earum numeri, casus, terminationes, & alia accidentia mutanda. Hæc enim omnia cum audien-

audientium molestiâ conjuncta sunt: sed more prudentum pronuntiatio instituenda est.

APH. IV.

Etsi verò non est situm in nobis ipsis, efficere ut nostro arbitrio, vel linguam expeditam, vel bonam vocem habeamus, verúmque est illud, *Naturam expellas furca, tamen usque recurrit:* studio tamen quoque adhibito, vitia naturæ, tum pronuntiationis, tum vocis, emendari, vel saltem minui possunt.

Studio Pronuntiationis vitia cavenda.

APH. V.

Inprimis textus clara & distincta voce recitandus est, ut ab omnibus audiri expressè possit; & inter legendum, verba textûs ex quibus doctrinas in concione extruere volumus, emphaticè sunt pronuntianda. Sic enim auditores ad concionem erunt attentiores, & meliùs explicationem & doctrinarum fontes intelligent.

Recitatio textûs clara & distincta sit.

APH. VI.

Accommodet vocem suam sermoni suo concionator: in exordio sit submissa & sedata: ne vel in principio statim, aut saltem in cursu orationis raucescat: sed paulatim in pronuntiando assurgat, & sic concionem sine difficultate continuare possit: in docendo, sit moderata & remissa: in reprehensione, aut exhortatione, & dehortatione adhibeatur vocis contentio major, rebus ipsis accommodata: in confutatione errorum, vocem decenti ratione nunc acuat, nunc deprimat, studeátque ut adversarios ma-

Vox & Pronuntiatio accommodanda concioni.

gis argumentis, quàm clamore vincat: cùm consolabitur, suaviter & amicè vocem flectat.

APH. VII.

Pronuntiatio ad Legis & Evangelii doctrinam inflectenda.

Adhæc, cum omnia quæ in concione dicuntur, vel ad Legem, vel ad Euangelium referantur, Pronuntiatio ad utrámque doctrinam aptè accommodari debet. Nempe, ut Reprehensiones, Increpationes, Comminationes, &c. quæ ad Legem pertinent, altiore ac concitatiore voce, & quasi cum clamore quodam proferantur; juxta illud *Esa. 58. 1. Exclama toto gutture, nec cesses: tanquam buccinâ extolle vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum.* Quæ a. Euangelii propria sunt, ut Consolationes, promissiones, &c. demissiore & amicabili sermone pronuntientur, ut Esa. 42. 2. de Christo prædictum est, cujus proprium officium fuit prædicare Euangelium, *Non vociferabitur, neque attollet, nec faciet ut audiatur foris vox sua: arundinem quassatam non franget, & linum fumigans non extinguet.*

Summatim: Concionator dicat quatuor vocibus, clarè, tardè, distinctè, & aptè.

COROLLARIUM
ex Gregorio.

SOnus loquentis sit demissus, ne vel strepitu vel immoderato clamore auditores suos, aut injuste terreat, aut justè offendat. Suavis quoq; debet esse ejus sonus: ne asperitate, tantò fiat animis audientium onerosior, quantò ad aures durior venit & injucundior.

Ex

Ex Bernhardo ser. 38. super Cantica. Illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moveat: Et si persuadere vult, gemendo magis quàm declamando faciat.

Ex Hugone. Tres sunt Pastoris voces: suavis, dulcis, alta: suavis ad infirmum: dulcis ad morientem: alta ad surdum.

DE ACTIONE SEU MOtu & gestu corporis.

APH I.

I. Actio & motus corporis, vultus, gestúsque moderatio, gratiam & probabilitatem quandam conciliat iis quæ pronuntiantur. In vultu igitur concionatoris, pudor & verecundia apparere debet, in reliquis corporis partibus, decus & gravitas. *Actio quid sit.*

APH II.

II. Concionator ut plurimùm, faciem vertat ad eam templi partem, in qua sunt confertissimi auditores: ne, si jam ad dextram, jam ad sinistram se convertat, quid dicat non satis intelligatur, & multum jactando hinc inde faciem, objecta multa, quæ movent sensus, memoriam ipsius interturbent. *Concionator nõ subinde faciem vertat.*

APH III.

III. Longè autem absit histrionica gesticulatio & levitas, quia non decet legatum Dei; & auditores histrionicis illis gesticulationibus intentos, verba & res sine fructu prætereunt; *Absit gesticulatio.*

Et denique ingens discrimen er histrionem & concionatorem esse oportet.

APH. IV.

Gestus sint graves & moderati.

IV. Adhibeat igitur in concione, decentes, graves & moderatos gestus, ac motum corporis, ita ut auditores magis verbis & rebus, quàm gestibus & motù corporis afficere & movere studeat.

APH. V.

Observet seipsum concionator.

V. Proinde observet semetipsum concionator, quibus gestibus, quo motu corporis utatur in concionando. Sæpè enim fit, ut quis ita in id quod dicit intentus sit, ut actionis & gestuum suorum rationem planè nullam habeat.

Vitia actionis.

Est, qui capite veluti pendet in latus, vel titubat; ille oculis nictantibus vel clausis, aut in terram depressis; ille vagis oculis; ille alios oculis intuetur limis, altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio; alteros distorquet; alii sputo suos auditores aspergunt; invenias quoque qui ita manus inter loquendum agitent, ut muscas à se vel aliis depulsuri videantur; alii corpus totum movent & brachia hinc inde porrigunt; alii proni auditoribus imminent; alii contra supini in adversam partem inclinant; alii antrorsum & retrorsum corpore perpetuò veluti nutant; alii manu pectus tundunt; alii suggestum feriunt; alii pede solum pulsant; alii barbam subinde prensant, demulcent, intorquent; alii manus fricant, vel

inter

inter se conterunt; Qui gestus omnes sunt deformes, & indecori.

APH. VI.

VI. Tota actio concionatoris, sive in voce, sive in gestibus, pietatem & gravitatem rerum sacrarum majestate dignam spiret; tum personæ, conditioni & ætati ipsius, & loco, in quo concionetur, conveniat. Neque enim eadem omnes decent, nec eadem conveniunt omnibus locis.

Actio pietati & persona conveniat.

APH. VII.

VII. Porrò actionis usus, partim comparatur ex imitatione illorum, qui in hoc genere excellunt; partim ex affectu animi sponte fluit: Nam animi affectum ferè sequitur similis vocis atque gestuum actio.

Actio quomodo comparatur.

APH. VIII.

VIII. In imitatione diligens tyro videat, ne quo singuli concionatores excellant; non ut omnes in omnibus (quia rarò unus in omnibus Ecclesiastici officii partibus excellit) sed singulos in singulis imitetur. In quem finem eorum conciones non tantum leget, sed etiam, si copia datur, coràm audiet: Sed habeat rationem locorum, temporum, personarum, donorum, auditorum, aliarúmque circumstantiarum, ut utiliter, decenter, & laudabiliter imitari possit, non affectatè & ridiculè æmulari. Duo enim cùm faciunt idem, non semper est idem, ut dici solet. Proinde unusquisque se suo pede ac modu-

In imitatione quid observandum.

lo metiatur, ne malus & infelix æmulator fiat; Nam *Non omnia possumus omnes,*
ait ille; nihilque invitâ Minervâ tentandum. Sunt & heroica quorundam facta, quæ vim & virtutem divinam spirant & referunt, non temerè imitanda, nisi ei qui & vocationem similem, & dona eadem à Spiritu S. acceperit, à quo etiam ad similia facta impelli se sentiat: Sed hîc valeat illud Ciceronis ad Brut. Qui inter optimos esse non possunt, eos etiam in secundis & in tertiis consistere, laudabile est.

APH. IX.

Scopus concionatori propositus.

IX. Hunc sibi scopum in tota concione proponat concionator, ut non solum unicam veritatem doceat, quod ei summum esse debet; sed etiam auditores afficiat, & aculeos relinquat in eorum animis ad pietatem, justitiam, & reliquas virtutes Christianas amplectendas.

APH. X.

De affectib. movendis.

X. Affectus movebit concionator, si ex sedulis ad Deum precibus, diligenti rerum cœlestium quas tractat consideratione, seria pœnitentiæ meditatione, & gloriæ Dei propagandæ, salutisque Ecclesiæ promovendæ zelo, affectus tales in se priùs exciter, & animo concipiat, & quodammodo aliis videndos exhibeat, quales concio potissimùm requirit, & ipse in auditoribus movere maximè cupit; tum eos non solùm verbis & sententiis, sed etiam vultu gestúque declaret. Nulla enim re concitabit pios affectus

fectus efficaciùs, quam si ipse piè affectus fuerit. Contra, si ipsemet friget, auditores nihil flammarum concipient, sed cum eo frigebunt: hac ratione *æs resonans, & cymbalum tinniens* fiet, 1. Cor. 13. 1. Nam rectè Seneca, Animum non faciunt, qui animum non habent: cor est quod convertit cor: & affectus animi, animi affectus movet.

Frigidus frigidos reddit.

Sed hìc danda est opera, ne affectus ille aut zelus, pro tempore ascitus & simulatus videatur: sed ut tota vita concionatoris spiret sanctitatem; ne sit aut videatur esse medicus aliorum, ipse ulceribus scatens, illique objici jure possit hoc proverbium: *Medice cura teipsum, Luc. 4. 23.* Hic enim locum habet illud Poëtæ:

Affectus aut zelus non sit simulatus.

Turpe est doctori cùm culpa redarguit ipsum.

Verè igitur Bernhardus, Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod persuades alteri, priùs illud tibi cognoscaris persuasisse. Et, Validior operis, quam oris vox. Et, Vita dicentis, non oratio persuadet. Et, Pectus est, inquit ille, quod facit disertos.

APH. XI.

XI. Videant etiam concionatores, maximè juniores, ne eorum zelus sit præter scientiam, ut Paulus loquitur Rom. 10. 2. Nec sit incautus seu indiscretus, aut intempestivus, id est, sic comparatus, ut si non in fine ipso, tamen in mediis insit vitium: sed cum voluntatis Dei cognitione, vera in eum fide atque simplicitate, & pruden-

Zelus nõ sit præter scientiam.

tia conjunctus, Matth.10.6. Non enim quid faciant, sed quam benè & rectè faciant, ipsis dispiciendum: ne dum, ceu Neoptolemi quidam, magno zelo præditi videri volunt, apud cordatos in temeritatis, vel caloris cujusdam juvenilis suspicionem incurrant, & magis destruant quàm ædificent.

DE GESTU EX GREG.

De gestu concionatoris.

Gestus concionatoris sit modestus, inquit Gregorius, ut nec inordinatè, nec impudicè, nec turbulentè inter loquendum membra moveat. Humilis sit etiam gestus, ut apud auditores gratiam sermo ejus inveniat: Thrasonicam in dicentibus arrogantiam omnes oderunt.

ADMONITIO.

Theologiæ candidati seu tyrones, suos habeant aliquos fideles, prudentes, & candidos observatores & censores, qui ea, quæ de officii Ecclesiastæ partibus dicta sunt, in ipsis notent: ut in iis quæ laude digna sunt confirmentur, ab iis verò quæ vitiosa sunt, ab initio statim avertantur, antequam in consuetudinem abeant: Magna quippe est vis consuetudinis, inquit Aristoteles.

Solus at artifices qui facit usus erit.

GEOR-

GEORGII LÆTI CONSILIVM DE FORMANDIS SS. CONCIONIBUS.

I. PRimo omnium rationem hujus mei consilii ponam, ne quis illud damnet, priusquam vel inspiciat. Quod facilè accidere posset, etiam hac in parte doctissimo cuique virûm: quandoquidem jam ejusmodi consiliorum magna est in mundo copia.

Præfatio & Accessus ad hoc Consilium.

II. Verumenimvero mihi tantum est animus ea, quæ illi prolixè scripserunt, breviter hic delineare, & quidem solam methodum ostendere, ac quasi sceleton concionis.

III. Quanquam plerique eorum, qui libros de modo concionandi composuerunt, videntur mihi non tam Tyrones docere, quomodo conciones debeant concipere & formare, quam potius instruere concionatores utcunque jam in hac palæstra exercitatos, quomodo suas conciones debeant elaborare ut sint perfectæ, elegantes, & vitiis carentes. Hoc verò meum consilium solummodo eo dirigitur, ut ostendam, quæ methodus maximè videatur esse commoda ad formandum conciones tales quæ & Concio-

cionatori faciles sint conceptu, & auditoribus usui maximo.

IV. Nec hic attinet quicquam dicere de variis & diversis methodis concionum hactenus receptis: neque enumerare earum incommoda: recensuimus eorum quædam in præfatione ad Lectorem præfixa libello cui titulus, *Peregrinatio Pauli Apostoli.*

V. Sed ut ad id quod mihi proposui, veniam, totum hoc absolvetur partibus *quatuor*;

Dispositio proponitur.

1. Prima erit de Concionibus concipiendis vel conscribendis.
2. De modo pronuntiandi ejusmodi Concionum conceptus.
3. De adminiculis ad ejusmodi Dispositiones concionum adhibendis.
4. Adferentur aliqua exempla, tales Dispositiones illustrantia.

VI. Illud autem adhuc præmonendum est:

Pars prima.

1. Quod *aliud* est in Ecclesia Dei concionari, *aliud* in schola res divinas docere. *Hoc* est officium proprium Doctorum scholæ: *illud* est Pastorum Ecclesiæ.

Differentia inter Doctorē schola & Pastorē. 2.

2. Differentia inter hæc duo docendi officia est magna. Doctorum est scripturam explicare & interpretari, omnes nodos & difficultates solvere: Pastorum verò non tantùm *explicare*, sed etiam *applicare*. Sed explicare non illo modo nimis accurato, quo Doctores in scholis: sed in tantum, in quantum auditoribus est ad salutem

tem necessarium scitu: & quidem ita, ut omnes capere possint & intelligere. Hinc quidam Pastor doctus filio suo Theologiæ Doctori & Concionatori eximio præceptum dedit, ita concionaretur, quo à simplicissimo & rudissimo quoque rustico intelligi possit. Alia item est hæc differentia: Doctores reddunt suos auditores tantummodo doctiores, (id est per se.) Pastores verò potissimùm in id incumbere debent, ut suas oves reddant meliores: quod per applicationem suarum concionum faciunt. *Crocius.* 2.

3. Benè ergo quidam observavit, non retè agere Pastores, qui interpretationi plus operæ dant, quam curis pastoralis officii propriis; id est, quam applicationi & usibus, in quibus tractandis maxima pars concionis occupari debet. Quod si fieret, multi Pastores pientiores haberent suos quam habent auditores. *Strefo.*

VII. Quum ergo proprium sit Concionatoris Textum explicare & applicare, disquirendum est, qua methodo id fieri possit commodissimè, id est, ut Textui satisfiat, & Concionatori sit facilè conciones sibi præparare, & utilissimum auditoribus ad ædificationem spiritualem.

VIII. Hoc autem quomodo fieri possit jam dicemus. Sciendum est itaque ea quæ ad Concionem spectant esse duplicia; *Essentialia* quædam; & quædam, ita dicam, *Accidentaria*, vel Concionem ornantia. Quemadmodum ut *Ad Concionem spectantia sunt duplicia.*

homo

homo sit vestitus honestè, hoc ad essentiam rei pertinet: ad ornamentum verò, ut hoc vel illo splendore & magnificentia.

I. Essentialia. Eaque iterum duplicia; Necessaria absolutè.

IX. *Essentialia* sunt iterum vel absolutè necessaria, vel ex hypothesi perfectioris concionis tractationis.

Nempe Explicatio Textûs, & ejus applicatio.

X. Est autem de *Essentia concionis* absolutè necessarium; *Textum explicare*, & eundem *applicare*: quod ita fieri debet.

Quod fit 1. Per lectionem textûs.

1. Textu perlecto, & exordio priùs brevi sed accommodo peracto, ejusdem primò breve summarium vel argumentum dandum: deinde statim ad partitionem Textûs veniendum est.

2. Per textûs dispositionem.

2. Partitio vel Dispositio Textûs debet esse naturalis, non autem adventitia: id est, talis, qualem ipsa natura verborum secum adfert. Nec in dispositione Textûs unquam est ponendũ, quod hoc vel illud sit de quo textus loquitur: nam hoc ad explicationem textûs non ad partitionem pertinet. Verùm in Dispositione simpliciter ostendendum est, quid in Textu agat auctor.

3. Per partitionis tractationem.

3. Textu ita bipartito, vel tripartito, vel quadripartito, descendendum est ad singularum partium tractationem: quæ tamen iterum subdividi possunt toties quoties natura verborum constructionis secundum diversitatem materiarum patitur. Hoc enim facto & faciliùs docebis alios (qui enim bene distinguit, bene docet) & habebis plures materias ad dicendum.

Circa quam observanda duo.

4. Par-

4. Partes Dispositionis singulæ ita debent tractari.

1. Citari debent verba Textûs, in quibus pars illa quam aggrederis tractandam fundatur: ut videat auditor clarè te nil loqui præter id quod textus fert. *Primum.*

2. Verba citata debent explicari: id est, sensus eorum proprius & genuinus in medium est proferendus: & quidem quam plurimum per positionem: aliquando per remotionem falsæ explicationis. In hac verò posteriore parte non est nimis diu inhærendum, nec auctores ejus nominandi: aliquando enim auctoritas ipsa alicujus nonnullis erroribus patrocinatur; qui abjicerentur, si nesciretur eorum auctor. Proprius autem & genuinus sensus est primò rationibus confirmandus, cur nimirum ita & non aliter verba illa accipi debeant; sed hoc non est faciendum nisi in locis scripturæ difficilioribus & Controversis. *Deinde*, paraphrasis verborum est danda, quod maximè faciendum est in verbis minus difficilibus: quid enim attinet de re ab omnibus intellecta multa loqui & auditorem detinere; ideóque statim ad paraphrasin veniendum est. *Alterius.*

3. Textûs verbis ita explicatis, *Doctrina* est proponenda. Est autem doctrina certum aliquod axioma, sive ad fidem, sive ad mores pertinens. Hoc in verbis quæ explicas & tractas fundari debet & comprehendi: idque *vel* expressè, *vel* *4. Per Doctrinæ propositionem & tractationem.*

sè, *vel* implicitè, hoc est, per bonam consequentiam.

4. *Expressè* ita, dum verba illa ipsa sunt certum aliquod axioma: ut, *Rom 13. v. 1.* Omnis anima potestatibus supereminentib. subjecta esto.

5. *Implicitè*, dum ex verbis illis quæ tractas tale aliquid excerpi potest per bonam consequentiam: ut, *Actor. 9. v. 1.* Saul dicitur spirasse minas ac cædes adversus discipulos Domini: unde rectè concludo: Discipuli Domini obnoxii sunt persecutionibus.

6. Itaque notandum est, quoties doctrinam posterioris hujus generis proponere in animo habes, toties explicationem verborum tuorum ita debes dirigere, ut illa tua explicatio sit fundamentum doctrinæ immediatè secuturæ: ita ut auditor luce meridiana clarius videat, Doctrinam illam esse ex Textu depromptam: & per consequens quod sit ipsius Spiritus Sancti in scriptura loquentis.

Quæ doctrinæ tractatio fit dupliciter.

7. Doctrina ita proposita jam tractari debet: quod fieri potest modis duobus: nempe aut *breviùs*, aut *fusiùs*; i. e. aut perfectiùs, aut imperfectiùs.

1. Aut Brevius Nempe 1 Confirmatione ejus & illustratione loci S. Scripturæ.

8. *Breviùs* hoc modo;

1. Confirmari ea debet aliquo scripturæ *dicto*, ut appareat doctrinam tuam esse aliis scripturæ locis consentaneam: & aliquo *exemplo* sive ex Veteri sive ex Novo Test. deprompto illustrari. E. g. Doctrina illa, Omnis anima subjecta esto potestatibus supereminentibus, confirma-

firmari & illustrari potest loco parallelo, 1.Pet. 2.v.13.Tit.3.1.Exemplo Christi, Marc.12.17.Matth. 17. v. 17.

II. Doctrina ita explicata & confirmata, ostendendum est auditori ad quid illi hoc scire prodest: nempe vel 1. ad Institutionem seu Informationem; vel 2. Adhortationem, & Dehortationem; vel 3. Reprehensionem; vel 4. Refutationem; vel 5. Consolationem. *2. Propositione usuum ex ea provenientiũ: videlicet,*

III. Usus isti nihil aliud sunt quam certæ consequentiæ ex doctrina legitimè deductæ. Ideoque in illis formandis tantummodo opus est diligenti consideratione doctrinæ, quid ex illa sequatur.

IV. Quemadmodum autem auditor clarè debet videre doctrinam ex explicatione textûs vel ex ipso textu fluere, ita heic debet videre usũ ex Doctrina sequi ultrò, non autem trahi violentè.

V. Observandum etiam non semper ex qualibet Doctrina omnes istos usus sequi, sed aliquando tantùm.

VI. *Institutio* & *Informatio* versatur circa res quæ spectant ad notitiam vel doctrinæ Christianæ & fidei, vel morum & vitam nostram; breviter, circa ea, in quibus homo opus habet aliqua instructione & informatione quoad cognitionem. Hæc iterum explicari & confirmari potest locis Sacræ Scripturæ & exemplis. *1. Institutionis & informationis.*

VII. *Adhortatio* instituitur ad virtutes, & *2. Adhortationis.*

alia quæcunque officia hominis Christiani.

3. Dehortationis. VIII. *Dehortatione* dehortamur ab omnis generis vitiis.

4. Reprehensionis. IX. *Reprehensione* reprehendimus omnia quæ reprehensione digna sunt.

5. Refutationis. X. *Refutatione* rejicimus falsam doctrinam, doctrinæ nostræ ex Textu eruræ oppositam.

6. Consolationis. XI *Consolatione* afflictos consolamur in omni afflictione animi & corporis: paupertate, morbis, tentationibus, exilio, morte ipsa, & sepulcro.

XII. Atque ita tractatur Doctrina *breviùs*: quo modo exercere se possunt primò tyrones & incipientes. Idoneus est etiã iste modus pro Cõcionatoribus illis, qui non habent tantum otii & temporis, vel scientiæ, ut Doctrinam altero illo fusiore modo, de quo jam agemus, possint elaborare.

XIII. Ita ergo pertractata doctrina una, perge in explicatione tui Textûs, sequendo tuam dispositionem: & aggredere partem secundam, qua absoluta modo simili, perge ad tertiam, quartam, & fac similiter.

Ave II. Fusius. Quod fit

9. Ita absolvimus jam modum tractandi Doctrinas breviorem: sequitur *fusior & perfectior.*

10 Doctrina ergo explicatur & confirmatur ex S. Scriptura: id quod fit modis duobus:

1. Depromptis ex Scriptura Testimonis

1. Petuntur rationes *immediatè* ex sacris literis, citatis nempe testimoniis & exemplis ad tuam rem facientibus; eodem planè modo quem præscripsimus, dum de breviore ageremus modo, nempe N. 8.

II. Pe-

II. Petuntur rationes ex S. Literis *mediatè*; promendo & excogitando rationes quæ Doctrinam confirmant, adhibitis testimoniis S. Scripturæ rationes illas firmantibus.

2. Additis rationib. Doctrinam formantibus.

III. In his rationibus potissimum ostenditur fundamentum doctrinæ, origo, causæ finales & efficientes.

IV. Aliquando doctrina antequam istis rationibus confirmatur, explicatur etiam (si materia ejus patitur) per certas partes, in quas doctrina distribuitur: quod quomodo fiat, ex exemplo, quod deinde subjuncturi sumus, clarebit liquidò.

3. Doctrinæ in partes distributione.

V. Adduntur etiam ad explicationẽ doctrinæ (si opus est) & ad singulas rationes, & excutiuntur quæstiones objectiones & casẽ cõsciẽtiæ, quæ etiã adhibẽtur in tractatione singulorũ usum: ut ita auditori in omnibus satisfiat, nec ullus relinquatur in conscientia scrupulus.

4. Examinatione objectionum, quæstionum &c.

VI. Hoc modo doctrina pertractata ad usus veniendum est: qui quomodo prolixiùs & perfectiùs tractari possint statim dispiciemus.

5. Propositione Usuum: Quorum tractatur

VII. Nempe, usus illi supra recensiti meliùs afficiunt auditorem & permovent, magísque promovent ædificationem spiritualem vitæ practicæ, si ita elaborentur ut habeant non tantùm suas illustrationes vel confirmationes; sed etiam signa, motivas, media, impedimenta, directiones, & regulas. Quid enim me juvat vel dulcissimas quásque audire consolationes, si ne-

ſciam an eæ ad me pertinent? at quomodo ſci-
vero, niſi me ſecundum certa ſigna examinave-
ro? Quid prodeſt hortari aliquem ad hæc vel il-
la, vel inſtituere aut informare, ſi ei non oſten-
dero modum, quo id ad quod movetur, exequi
poſſit? Quid etiam tua reprehenſio effecerit,
etiam ſi dies atque noctes inſtes, niſi ei media
proponas, quibus id evitet, à quo eum dehor-
taris, vel cujus reprehendis: niſi ei quoque ori-
ginem mali oſtendas & impedimenta: imò de-
nique niſi ei regulas quas ſequatur præſcribas,
ne in eadem incidat. Ultimo loco firmiùs ad-
hortaberis, dehortaberis, inſtitues, conſolabe-
ris, ſi rationes ubique addas & motivas, cur hoc
ſequi, cur illud fugere debeat, cur illa conſola-
tio ſit firma, &c.

VIII. *Objicies*; Difficilia ſunt iſta. *Reſpondeo*,
Sed pulcra & valde utilia ac neceſſaria. Et mu-
nus paſtorale putáſne ſine cauſa vocari difficil-
limum? Nec verò hæc adeò ſunt difficilia, uti
jam ex iſtis regulis ſpecialibus patebit.

IX. Ergo informando uſus ſingulos, conſi-
derandum eſt, an non opus ſit monſtrare vel
Motivas, vel *Media*, vel *Impedimenta*, vel *Regulas*,
vel *Signa*.

1. *Inſtitutorius.* X. Inſtitutio & Informatio aliquando po-
teſt habere *Signa* vel *Media*.

2. *Adhortatorius.* XI. Adhortatio *Motivas*, *Media*, *Regulas*.

3. *Dehortatorius.* XII. Dehortatio *Motivas*, *Media*, *Regulas*, *Im-
pedimenta*.

XIII. Ro-

XIII. Reprehensio *Rationes*, quæ ostendunt malè esse factum. *4. Reprehensori*.

XIV. Refutatio *Rationes*. *5. Refutatorius*.

XV. Consolatio *Signa, Media*; Signa nempe quæ ostendunt eam ad nos pertinere: Media, si eam non invenimus, quomodo acquirere possimus. *6. Consolatorius*.

XVI. Hic iterum noto ad singulos hos usus addi posse objectiones, quæstiones, & casus conscientiæ, sicubi occurrunt.

XI. Ita absolvimus etiam modũ tractandi Doctrinas *fusiùs* vel perfectiùs: & ita delineavimus breviter ea quæ diximus esse absolutè necessaria ad Essentiam Concionis. Jam sequuntur ea, quæ sunt necessaria *ex hypothesi perfectioris tractationis Concionis*.

XII. Ad ea autem quæ sunt necessaria ex ista hypothesi, refero omnia illa præcepta & instructiones, quæ observanda requiruntur circa Textûs explicationem, tractationem Doctrinæ, Rationum, Usus Institutorii, Hortatorii, &c. Ita ut nullum (sit quantum est possibile) à Concionatore committatur vitium, nec in explicatione textûs, nec in aliis partibus concionis. *II. Necessaria ex hypothesi perfectioris tractationis cõcionis*.

XIII. Quia autem nobis non est propositum ea præcepta hîc tradere, plura non addemus, lectorẽ ablegantes ad libellos superiores, qui hac de re plenè tractant: contenti eo solo, ut admoneamus tum demum tales libros & observationes cum multo fructu posse legi, quum

methodus illa jam à nobis præscripta rectè intelligitur & observatur.

II. *Accidentaria.* XIV. Sequuntur jam illa quæ vocare libuit nobis *Accidentaria* Concionis. Ita autem vocamus ea, quæ pertinent ad sermonem ornatè conficiendum.

XV. Conficitur verò Ornatus sermo vel *Naturaliter*, vel *Artificialiter*.

XVI. *Naturaliter*, per Eloquentiam naturalem. Ita enim natura quibusdam formavit linguam & sermonem, ut cæteri nulla arte id possint assequi.

XVII. *Artificialiter*, traductis in usum omnibus illis doctorum virorum præceptis, quæ ab illis in hac materia traduntur in variis libris, in quibus oratorem docent ornatè & eleganter loqui. Itaque lectorem eò ablego. Intelligo autem libros & *prophanæ* Oratoriæ (quatenus nempe eorum præcepta huc faciunt) & *Ecclesiastica*: ubi inprimis videntur mihi satisfacere Ecclesiastes *Erasmi*, Rhetorica Ecclesiastica *Keckermanni*, *Aculteri* Axiomata, (hæc vide supra) Orator Ecclesiasticus *Crocii*, *Bucani* Ecclesiastes, (quem etiam habes superius) *Polanus*, & *Alstedius* de Methodo Concionandi.

Pars secunda. XVIII. Hæc sufficiant de modo concipiendi & disponendi methodicè conciones: sequitur modus pronunciandi tales conceptus. De eo autem teneantur hæc;

I. Con- I. Tales conceptus pronuntiari possunt duo-

bus

bus modis: *vel expressè*, & ita ut sunt positi, hoc est, ut ubicunque est doctrina concionator expressè dicat; ex hoc loco sequitur hæc doctrina: ubi rationes; ut dicat, hujus doctrinæ hæ sunt rationes, prima, secunda, &c. Vel, hoc fit propterea, &c. Ubi sunt usus, ut dicat, usus est hic, primò, secundò, &c. *Vel implicitè*, id est, adhibendo Transitiones, quæ artificialiter & involutè ac tectè indicent vel Doctrinam, vel Rationes, vel Usus, vel Objectionrs, vel Casus Conscientiæ.

ceptus hæ pronuntiari possunt vel 1. *Expressè, vel*

2. Uter autem sit melior pronuntiandi modus, non videtur nostri esse dicere officii hoc loco. Ideoque tantummodo monebimus, posteriorem magis pertinere ad Orationes & discursus, qui habentur coram viris doctioribus: minoremque adferre utilitatem auditoribus: siquidem pauci ita sunt edocti, ut possint concionem in certa loca Doctrinarum, Rationum, & Usuum ex tempore ex ipso auditu disponere: quod tamen videtur esse necessarium: & nisi id fiat, audiet auditor & delectabitur, sed non adeo proficiet, quàm proficeret, si prior ille clarus, distinctus, ac simplex adhibeatur modus.

2. *Implicitè.*

3. Hunc simplicem & clarum modum apud optimos quosque Concionatores Anglos in usu esse observavimus, qui expressè indicant suis auditoribus, hîc est, inquiunt, doctrina. Hæc ratio prima, secunda, &c. Hic est usus primus, &c. Ubi notandum, eos non adeò esse titulorũ

usuum solicitos; ut dicant semper quis & qualis sit usus, num Institutorius, an Reprehensorius, vel Consolatorius, &c. contenti significare, hic est usus primus, hic secundus, &c. nihilominus talia adhibent verba, ex quibus auditor facilè qualis sit usus intelligere possit.

4 Ex hoc modo fluit, ut multos observare liceat apud Anglos auditores, qui totas memoriæ mandare possunt conciones & recitare. Audivimus quosdam ipsi & mirati fuimus vehementer: & quidem in rebus satis difficilibus, quas hîc commemorare nihil attinet.

Pars Tertia. Adminicula adhibenda.

XIX. Hæc de modo pronuntiandi: sequitur de adminiculis ad ejusmodi Dispositiones adhibendis. De istis hæc habeto;

1. Preces & lectio S. Literarum.

1. Præter ardentes preces & magnam peritiam sacrarum literarum, ac non mediocrem cognitionem linguarum Originalium, sciendum est adminicula esse duplicia: *quædam*, quæ pertinent ad explicationem Textûs & erutionem Doctrinarum; *quædam* ad elaborationem Doctrinarum, potissimùm verò ad usuum omnis genetis.

2. Optimi Commentarii qui recensentur hîc. nempe, Qui Textum explicat

2. *Prius* quod attinet genus, ea sunt optimi Commentarii, qui textum genuinè & propriè explicant: & quidẽ ita, ut in eorum explicatione contineantur semina doctrinarum. Tales enim Commentarios quicunque habet ad manus, & cum judicio legit, atque hanc methodum præscriptam à nobis sive breviorem sive fusiorem

tenet

tenet probè, doctè is & ſummo cum fructu concionari poteſt. In ejuſmodi Commentariis obſerva diligenter, quæ faciunt ad doctrinam, quæ tibi poſſint ſervire loco rationum, quæ ad uſus.

propriè
Nè verò.

3. Non eſt hujus brevitatis recenſere omnes autores in S. Biblia, qui ad hanc rem faciant: ideoque tantùm monemus *Calvinum* virum incomparabilem, omnibus præſtare Commentatoribus hac in parte, modo attentè legatur: adeo ut quidam Pontificii ipſi, iique docti, ita ejus commentarios commendent, ut dicant, ſi ea quæ contra Eccleſiam Romanam faciunt, (ſunt autem ea in ejus commentariis pauca) ejiciantur, ejus commentarios in Eccleſia Romana utiliter edi & legi poſſe: & quidem ita, ut ii primum locum poſt antiquos patres jure obtinere poſſint. Eum ſequantur *Gualterus*, *Aretius*, *Bullingerus*, *Wolphius*, *Lavaterus*, *Martyr*, *Marloratus*, *Cartwirchtus*, *Pareus*, & alii quam plurimi noſtratium. Caveantur modò illi nugatores allegorici, qui ab auctoris mente recedunt.

Allegoricè.

4. *Poſterius* genus quod attinet, nempe elaborationem doctrinarum & uſuum, hîc non alios commendo inter Latinos ſcriptores quàm *Sibelium*: inter Anglicos verò Concionatores quàm maximè opera *Byfieldi*, *Hieronis*, *Preſtonis*, *Barlovii*, *Eltonis*, *Gatakeri*, *Hilderſami*, *Hookeri*, *Tayloris*, *Harris*, *Atterſoli*, *Dodi* & *Cleaveri*, *Suttonis*, *Horni*, *Sibs*, *Goude*, *Rendali*, *Regnoldi*, *Dyki*, *Smidi*

5. Lectio librorum Practicorum, maximè Anglicorum.

utriúsque *Perkinsi, Cooperi, Richardi, Wardi, Downami, Boltonis*, &c. Ex horum namque lectione (nullus dubito) sedula, quemlibet doctissimum puto posse evadere Concionatorem. Nam ibi inveniet in omnibus materiis usus, eorúmque Signa, Media, Motivas, Impedimenta, Regulas, Objectiones, Quæstiones, & Casus Conscientiæ.

4. *Lectio Casuum Conscientiæ.*

5. Utile est etiam hac in parte familiares sibi reddere eos, qui Casus Conscientiæ ex professo scripserunt. Tales sunt inter nostros *Perkinsus, Amesius* & *Alstedius*. Inter eos quibus volupe est Lutheranos se vocitare *Baldvinus*, & in suo Syntagmate Theologico *Brochmannus*.

Pars Quarta.

XX. Hæc de Adminiculis: sequuntur Exempla Methodicæ nostræ Dispositionis.

XXI. Quia autem aliam diximus esse Tractationem *Breviorem*, aliam *Fusiorem*, distinctè nobis est agendum.

1. *Exemplum brevioris Tractationis doctrinæ.*

XXII. Primò ergo proponemus exemplum brevioris tractationis: quod est in Hooker. Anglo in Præpar. animæ ad Receptionem Chr. *pag. mihi* 4. Ex textu *Act.* 2. 37. Ubi agitur de Crucifixorib. Christi, quomodo compuncti sunt corde ad concionem Petri; id est, maximi peccatores. Unde auctor ducit hanc *doctrinam*.

Possibile est, maximos etiam peccatores in terra acquirere cor contritum, & pervenire ad salutem.

Illustratio & confirmatio doctrinæ.

1. Ex

1. Ex textu proposito: Ecce illi, qui lapidarunt Stephanum & alios Prophetas: qui trucidarunt eos, qui ad eos fuere missi; qui noluerunt Christum recipere, nunc veniunt inquisituri in gratiam Dei.

2. Exemplo Cretensium, qui dicuntur mendaces, ventres pigri, & tamen Paulus jubet eos monere ut essent sani in fide, *Tit. 1. 12. 13.*

3. Promissione Dei, quæ habetur *Esa. 43. 23. 25. & cap. 1. v. 18.*

Usus I. *Reprehensorius.*

1 Eorum, qui dubitant de gratia Dei, similes Duci illi, de quo habetur *2. Reg. 7 12.*

2. Eorũ qui omninò desperant de Dei gratia.

Usus II. *Consolatorius & Hortatorius.*

Ut omnes peccatores ad Christum se convertant, & gratiam ac salutem ab eo requirant. Elaborationem hujus doctrinæ videre potes in ipso auctore, loco supra citato.

XXIII. Fusioris tractationis exemplum idem Hooker nobis subministrat *p. 10. ex Act. 2. 37.* *2. Exemplum tractationis doctrinæ fusioris.*

Doctrina.

Ante veram contritionem requiritur necessariò peccati visio. Primò enim Lucas de eis inquit, *audivere*, & deinde, *fuerunt compuncti.* Sic Ezech. 36. 31. Jer. 31. 19. Job. 36. 9.

Hic quæritur.

Quomodo videri potest peccatum, vel, quæ visio peccati est ad salutem necessaria? Resp. ea:

1. Si quis videt peccatum clarè; h. e. 1. Nudè,

ut

ut est peccatum. 2. ut est *venenosum* & periculosum, & ut est summum malum.

Hîc iterum duæ sunt quæstiones:

1. *Quæst.* Unde possum cognoscere peccatum esse summum malum?

Respondeo, ex comparatione illius cum cruciatibus infernalibus, qui sunt minora peccatis mala. Hujus habet rationes tres.

2. *Quæst.* Si peccatum est tantum malum, cur homines illud non vident?

Ad quam Quæstionem respondet ostendendo & removendo impedimenta, *pag. 18.*

II. Si quis videt peccatum (ita dicam) convictè; id est, cum nos ipsos peccati aliquomodo convincimus & reos esse agnoscimus.

Ratio doctrinæ prolixè explicatur, *pag. 27.*

Usus I. *Institutorius.*

Ergo cor ignorans, & non videns suum peccatum, est miserrimum.

Usus II. *Hortatorius.*

Studeamus itaque etiam nos videre peccata nostra. Hic

I. *Media*, quibus adhibitis possit aliquis videre sua peccata:

1. Ire ad Deum & petere cognitionem eorum, ut illa videamus.

2. Studere in Lege Dei attentè & sedulò.

3. Credere libenter omnibus quæ nobis ex Scriptura proponuntur.

II. *Impedimenta*, quę obstant cur homines nõ vident sua peccata? 1. Neg-

1. Negligentia eorum, quod nempe peccata non conſiderant, ſed extenuant aut parvi faciunt.

2. Spes vana miſericordiæ Dei.

III. *Motivæ*, quibus excitari debemus ad videndum peccata.

1. Conſidera, veterem hanc eſſe viam in Cœlum, contritionem cordis.

2. Negotium tuæ ſalutis viſo peccato, facilius procedet.

3. Vide felicem eventum, præſertim in morte: ô quam magna erit tunc conſolatio.

Usus III. *Inſtit.* ad Miniſtros, quomodo populo concionari debeant? nimirum ad Conſcientiam.

Finis Conſilii de conſcribendis Concionibus.

AMM. MUZEUM KÖNYV-TÁRA

REGULÆ GENERALES MANUDUCENTES, quibus mediantibus Dei gratia in formandis Concionibus quilibet adjuvari potest.

1. SI quis cognoscere velit, cujusnam genetis Usum, ex quavis Doctrina debeat elicere; consideret saltem Doctrinam suã, unũ ea sit *Theoretica*, i. e. cognitionem aliquam continens, vel *Practica*, id est, operativa, scil. in vitam; vel *ex utraque Mixta*: Si *illa* fuerit, *Noëticum* suppeditabit *Usum*; si *ista*, *Practicum*; sin verò *hæc*, *Mixtum* quoque, h. e. partim *Noëticum*, partim *Practicum*.

2. Cum jam ad Doctrinam perventum est, ad ejus secundum artem elaborationem, nihil facilius utiliúsque, quàm statim considerare, Veritatis quam Doctrina continet, Genus. Quod ubi observatum est, ad suam in Theologia Sedem, deduci debet. Id est, si vel *Fidei Articulum* sive *de Justificatione*, sive *de Prædestinatione &c.* in se complectatur, id omne ad suos Locos communes refertor. Ubi plurimæ eæque variæ tum Probationes, tum Explicationes, Illustrationes, & alia ad Doctrinam excolendam facientia occcurrent. Similiter in Usibus; qui si Noëtico-informatorius fuerit, ad eum Fidei Articulum, cujus Veritas inculcanda pars esse deprehendetur, deducitor; si Reformatorius, seu Elenchticus, itidem faciendum. At si Practicus fuerit, isque vel Adhortatorius, vel &c. Bonum illud ad quod exhorta-

hortamur, ad Genus suum revocator, an nimirum Obedientia, *Timor Dei*, *Justitia*, *Vigilantia*, *Temperantia*, *&c.* Quo facto, Casuistæ qui virtutum vitiorúmque doctrinam tradunt, consuluntor, quibus in promptu erit, tam *Motivas* sive ad *Bonum*, sive à *Malo*; tam *Media*, *Remedia*, *Auxilia* & *Signa* ad nostri explorationem, suppeditare sufficienter. Inter alios autem ad hisce omnia commendatissimi sunto *Ames. Medulla. Casus Conscientiæ ejusdem*, *& Perkinsi*, *Calvini instit. Bucanus*, *Polanus*, *Vollebii Compen. Theologic. Riveti Casus in Decalogum*, *&c.*

E re quoque fuerit, eorum inprimis qui se in arte concionandi maximè exercitatos cupiunt, ut sibi ex chartis puris *Libellum* fieri curent, in quem *Titulos Locorum Communium*, tum de *Fide*, cum de *Virtutibus*, *&c.* describant. Et si quid sive legendo, sive audiendo, meditandóque, ad hujus vel illius *Articuli Fidei confirmationem* singulariter facere observaverint, eò statim referant, consignéntque. Probationes *Quod ita sit*, tam *Locis* quam *Exemplis* seorsim, seorsim itidem *Cur ita sit*, seu Rationes, inscribendo. Sic etiam in *Virtutum Vitiorúmque* negotio: Ubi sub *Titulo majori*, *minores* quoque justa distantiâ apponantur: ut de *Motivis*, de *Remediis*, *&c.* quo quicquid postea inter legendum, meditandum, audiendúmve vel *Motivarum*, vel *Mediorum*, vel *&c.* deprehendent, subjicere possint. Dici nequit quanto *Libellus* iste nobis erit usui; exuberans utpote Promptuarium, ex quo facilimo negotio, universam Concionum elaborandarum rationem promere in promptu erit.

REGU-

REGULARUM OMNIUM REGULA.

OMnium autem maximè id curandum (ſine quo omnis eruditio, obſervationes quævis, mille ſynopticæ Tabulæ fruſtra ſunt) ut Concionator, ipſe omnium primum *comparet animum ad quærendum legem Jehovæ & ad præſtandum eam*, id eſt, ei ſit ante alios omnes cordi Religio, verâ quam alios docere vult pietate ipſe ſuum imbuat animum, & timoris Dei zelo, non minus atque doctrinâ ipſe aliis præeat. Debet enim qui alios docet ſemetipſum antea & ſimul docere, *Rom. 2. 21.* Tunc etenim Concio maximè efficax evadit, quando Auditores obſervarunt omnia ex Concionatoris intimo cordis affectu procedere, præſertim ſi ſeria quoque meditatio, attentáque accedat oratio ad illas ipſas res cordibus Auditorum ingerendas, quas aliis dicendo perſuadere conatus eſt. Non enim ita hîc habet ut in aliis rebus negotium: vir aliquis improbus in vita communi bonus Medicus, Philoſophiæ Doctor bonus, Sartor, Sutor, &c. bonus eſſe poteſt; at bonus & ſalutaris Theologus, Concionator, nullus niſi pius zelóque gloriæ Dei accenſus. Quo reſpectu (ſi ſtrictè ageretur) nemo ad Concionatoris munus admitti deberet, qui ſe antea totum, omnémque ſuam vitam Deo non conſecravit.

Hoc loco nominatæ cujuſdam, ejúſque neceſſariæ Quæſtionis reſolutionem ſubjungere, non putarim de nihilo futurum.

An etiam Aliorum hac in re Praxes ſeu Opera, inter Concionum adminicula ſint numeranda; &, num iis uti liceat?

RESP

RESP. ALiorum hac in re Opera, *sunt vel* Commenria *pia & docta*; *vel* Selectæ *quædam magni* ıudicii, *exercitatorúmque verbi Præconum* Conciones: *vel* ıdeniq; POSTILLÆ; *id est, Conciones super Euangeliis (ut* vocantur) *Dominicalibus, & Epistolis anniversariis, eæq; vel* à *Pontificiis, aliisque Heterodoxis, vel ab ipsis, quod tamen* rariùs *fit, Orthodoxis scriptæ. His ita distinctis hoc modo ju*dicamus: Commentaria *docta & sana; ut &* Selectas, *pias* interim, *in varios Scripturæ S. Textûs judicii maturioris Vi*rorum Conciones, *magno usui fore Tyronibus, quin &* Exercitatioribus. 1. *Ex iis enim haurient, verum* Textus assumendi, *tum* Sensum, Scopum, *tum cum antecedenti*bus Cohærentiam, &c. *quæ aliàs suo Marte cumprimis mi*nùs *exercitati vel non assequerentur; vel quamvis possent,* suæ *interim fidere Analysi non auderent. At cum Doctissimos* quósque *pariter sentire observarunt, judicio confirmati per*gent *postea audentiùs.* 2. *Præterea & hoc attendendum, non* esse *semper Concionatori satis sive otii, sive temporis, quò* Textui juxta artem *elaborando immorari pro voto posset; tunc saltem, temporis lucrandi causa* Commentatores, Concionatoresque *optimos inspicere non fuerit inconsul*tum. 3. *Sic experientur clara* secundum artem *procedendi exempla, & ita quasi manu ducentur ad similia præstan*da. 4. *Plurima illic invenient, quæ in suum usum commo*dissimè *transferent.* 5. *Addiscent quoque quo pacto artem (quod artis magnæ est) in Concionibus formandis occultent. Quod intelligendum, non respectu præcipuarum magisq; ne*cessariarum *partium:* Connexionis, Partitionis, Explicationis, Doctrinæ, Confirmationis, Usûs, &c. *tantum enim abest, ut hæc ab auditoribus occultanda sint, ut magis*

omni conatu inculcari iis debeant quam diligentissimè: quo Conciones faciliùs & citiùs tum intelligantur, tum memoriæ infigantur. Divina enim isthæc ars, Concionum non formandarum tantùm, verùm etiam addiscendarum artificium est.

Tantùm cavebunt diligenter, ne sub auxilii prætextu, Conciones integras suffurentur, transscribántque verbatim: id enim non esset donum quod in ipsis est (*jubente Apostolo 2.Tim. 1. 6.*) exsuscitare, *sed memoriam tantùm exercere, quod Ministro Euangelii indignum est. Illud etiam perpendendum talibus relinquitur, eundem Apostolum ab unoquóque Verbi Præcone seriò requirere, ut* Verbum Dei rectè secare norit, *2.Tim.2.15. id est, ut ad boni patrisfamilias instar, unicuique Auditori, pro illius necessitate debitáque sustentatione portionem justam designare, distribuereque percalleat; quod per Conciones aliunde verbatim emendicatas præstari haudquaquam posse, experientia clamat. Adde, quod emendicatione tali in scientia non proficitur, contra Apostoli mandatum* 1.Tim.4.15. *Viderint ergo illi in gente nostra afflicta* ἀδιδάκτοι, *qui si saltem lecturæ cognitione facundiaque quali quali pollere se sentiant, satis se ad ministerium instructos autumant; tantíque momenti functionem plurimi eorum, si non ob lautioris, facilioris tamen vitæ genus subire, imò invadere non verentur: nihil interea tenentes minùs, quam* expressam (*quod Apostolus ab omnibus singulísque Euangelii Ministris diligenter requirit 2.Tim.1.13.*) sanorum verborum formam; *Viderint inquam, quo ausu vastum hoc mare sine velis & remis ingredientur. Vitam quidem istam miseram sanè, fluxámque sustentarint utcunque; at verendum, ô verendum nimis! ne in altera, plurimarum*

tarum animarum ob pastûs defectum fame pereuntium rei veragantur.

POSTILLÆ, *quas Pontificii aliique Heterodoxi scribunt, habent quidem earum nonnullæ auri nonnihil, sed luto multo immixtum: unde id eluere non est cujusvis, magnam ea res requirit quà eruditionem, quà judicium. Quod ad eas quas Orthodoxi protrudunt, neque iis multum tribuendum esse celeberrimus* Amesius Cas. Conscient. lib. 4. c. 26. *asserit. Rationes ejus hæ sunt:* 1. Quia, *inquit*, eas sæpiùs levores quidam Doctores scribunt, qui sine magno judicio, tempori sese hac in parte temperant. 2. quia ad Sectiones Dominicales tantùm accommodantur, quibus Minister Euangelii non debet adhærere. 3. quia neque continent Theologiam docendam, nisi ex minima ejus parte, neque modum docendi tradunt certum & ædificationi inservientem, sed qui comparatur ad vanissimis hominibus placendum. 4. quia in illis Ecclesiis ubi maximè sunt in usu, vera religio in suo vigore non habetur; sed vel ignorantia, vel forma quædam religionis obtinet, potestate ejus abnegata. *Ah modo lacrymis digno palpatur hoc inter nos; super quo piæ devotæque animæ ingemiscunt amarè! Consulantur his de rebus Hungaricarum quoque cu Tybiscum Ecclesiarum Canones, imprimis Articuli X. & XLII. in Major. Verba ita habent:* Sacra Biblia sic proponantur, ut Prophetarum & Apostolorum scripta doceantur, & tota doctrina ordine proponatur, ne tantùm in Postillis comprehensa Euangelia Dominicalia & Epistolæ continuentur, &c.

Pastores armis cœlestibus instructi sint, Bibliis Sacris, probatorum & doctorum Virorum Commenta-

riis, corpúſque doctrinæ proponant, non tantùm instar Fartorum, Manſorum & Remanſorum, tanquam Miſſalia & Breviaria Papiſtica, Poſtillas & Curtaria retineant, & prædicent. Nam perpetua Poſtillizatio & curtariorum demurmuratio & revolutio, tanquam glebæ addictos, facit otioſos & ignaros Paſtores, &c.

PRECATIONES CHRISTIANÆ, in cœtu fidelium, & aliàs fieri ſolitæ.

Precatio ante concionem die Dominico.

O Æterne Deus, Clementiſſime Pater, humuliamus nos ex imo corde, coram ſumma majeſtate tua, adverſus quam toties tamque enormiter peccavimus; & confitemur nos, ſi in judicium nobiſcum deſcendere volueris, aliud nihil niſi æternam mortem promeruiſſe: Nam præterquam quod coram te omnes peccato originali maculati, filii iræ ſumus, concepti ex ſemine corrupto, nati in iniquitate, unde pravæ omnis generis cupiditates, tibi proxmóque noſtro adverſæ, in nobis habitant: Illud inſuper accedit, quod actu etiam ipſo ſæpiſſimè & ſine fine præcepta tua transgreſſi ſumus, omittentes quæ tu nobis præcepiſti, committentes quæ expreſsè prohibita fuerant. Erravimus ſicut oves, & ſummopere contra te peccavimus, quod & agnoſcimus ipſi, & dolemus ex animo

animo. Imò & confitemur, ad nostri humiliationem, & tuæ erga nos misericordiæ gloriâ, peccata nostra numerum pilorum capitis nostri longè superare, nosque innumerorum millium esse debitores, quibus solvendo prorsus sumus impares. Quamoborem etiam indignos nos ducimus qui liberi tui appellemus, aut oculos nostros cœlum versus extollamus, ut in conspectu tuo preces nostras pronunciemus. Nihilo tamen minus, Domine Deus, misericors Pater, scientes te nolle mortem peccatoris, verùm ut resipiscat & vivat, tuámque misericordiam esse infinitam, quam ad te conversis demonstras; invocamus te toto corde, nixi Mediatore nostro Jesu Christo, agno illo Dei, qui tollit peccata mundi; & rogamus, miserearis nostræ infirmitatis, remissis nobis propter Christum omnibus peccatis nostris: Ablue nos puro fonte sanguinis ipsius, ut mundi & nivis ad instar candidi reddamur: Nuditatem nostram ipsius innocentiæ justitiæque pallio contege, propter nominis tui gloriam; Libera intellectum nostrum omni cœcitate, & corda nostra omni proterviâ & contumaciâ. Aperi impræsentiarum os Ministri tui, eúmque reple sapientia & cognitione tui, ut sincerè & cordatè verbum tuum nobis annunciet: Nostrum etiam omnium corda præpara, quò illud & audiamus, & intelligamus, & custodiamus: Legem tuam secundum promissionem nobis factam tabulis cordium nostrorum inscribe, voluptatem etiam & vires in ea incedendi nobis largire, ad nominis tui gloriam, tuæ autem Ecclesiæ ædificationem. Quæ omnia à te petimus, benignissime Pater, in nomine Jesu Christi, qui nos ita precari docuit: *Pater noster &c.*

Precatio paulò brevior ante concionem

COelestis Pater, æterne & misericors Deus, agnoscimus & confitemur coram Divina tua Majestate, nos verè miseros esse peccatores, conceptos & natos in omni malitia ac corruptione, ad omne malum proclives, ineptos ad omne bonum; qui vitâ nostrâ peccatrice præcepta tua sanctissima indefinenter violantes, iram tuam adversus nos exasperemus, & justo judicio tuo æternam nobis condemnationem accumulemus. Verùm Domine, pœnitet nos illorum, & dolemus quod te offenderimus. Detestamur delicta nostra, rogantes, ut gratiosè miseriæ nostræ subvenire digneris. Miserere nostri, benignissime Deus & Pater, nobisque remitte omnia peccata nostra per sanctam dilecti Filii tui Jesu Christi passionem. Sancti etiam Spiritus tui gratiam largire, ut hoc doctore injustitiam nostram ex animo agnoscere, nobisque ipsis toti displicere addiscamus: adeoque peccato in nobis peremto, nos ad novam vitam suscitati, sinceros in ea sanctitatis & justitiæ fructus proferamus, tibi per Jesum Christum acceptos. Da quoque ut sanctum verbum tuum ad normam voluntatis tuæ Divinæ rectè cognoscamus ac intelligamus, ejúsque ductu, deposita omni ex creaturis præconcepta fiducia, te solo niti discamus. Ut vetus etiam ille homo cum omnibus suis cupiditatibus in dies magis ac magis crucifigatur, nosque ipsos tibi vivas hostias offeramus, ad sancti nominis tui gloriam, proximique nostri ædifiationem, per Jesum Christum, Dominum nostrum, qui nos ita precari jussit: *Pater nost:*

GUILI-

GUILIELMI AMESII S.S. Theol. Doct.

CONCIONES ALIQUOT Sacri Ministerii Candidatis ad imitationem propositæ.

CONCIO PRIMA.

Textus 1. Corinth. 2. vers. 4. 5.

Néque oratio mea, néque præconium meum versatum est in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in demonstratione spirituali & potente. Ne fides vestra consistat in sapientia hominum, sed in potentia Dei.

BEllum perpetuum geritur in hoc mundo, & præcipuè in illis locis ubi Deus Ecclesiam suam colligit, inter Michaelem & Angelos ejus ab una parte, & Draconem & Angelos ejus ab altera parte, Apoc. 12. 7. Unde etiam usu venire solet, ut ubicunque CHRISTUS per suos Angelos & Apostolos Ecclesiam colligit, ibi Satan per suos Angelos eandem omnibus modis evertere satagat, atque illum in finem omnibus occasionibus invigilat, omnésque arripit ansas.

Hoc ut aliis in locis, sic præcipuè Corinthi factum esse videmus: Postquam enim Paulus Apostolus Ecclesiam in illa urbe collegerat, Act. 18. & aliò fuit à Domino evocatus, Angeli quidam Sathanæ, sicut expressè vocantur 2. Cor. 11. v. 15. *transformantes semetipsos in Angelos lucis, ministros justitiæ, & Apostolos Christi*, insinuarunt sese in illam Ecclesiam, quam Apostolus reliquerat optimè constitutam, ut, si Euangelium planè amovere non possint, idem tamen corruptelis quibusdam aliquo modo labefactent. Inter alias autem artes quas hunc in finem adhibebant, non ultima fuit illa, quod novo quodam fastu utebantur in concionando, & sapientiæ cujusdam specie semetipsos commendabant populo,

& Pauli prædicationem cum ipsius persona in omnem contemptum vocarunt. Sanctus autem Apostolus, ut Angelus lucis opposuit sese hisce tenebris in utráque Epistola quam scripsit ad Ecclesiam Corinthiacam. Hoc autem in loco illud præcipuè agit, ut vindicare possit suum prædicandi modum à contumeliis & præjudiciis quæ inter imperitos eorum operâ patiebatur. Sicut igitur in antecedentibus & consequentibus illud latius agit variis argumentis, sic etiam idem facit in hisce duobus versiculis jam modo prælectis, quibus primò humilitatem suæ prædicationis agnoscit & profitetur primis illis verbis: *Neque oratio mea, neque præconium meum versatum est in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis*; Deinde ne idcirco vilis & contemnenda videatur ejus prædicatio, veram laudem sibimetipsi tribuit in hoc negotio, quam opponit vanitati humanæ sapientiæ, verbis illis seq. *Sed in demonstratione spirituali & potente.* Utriusque rei ratio justa redditur à fine prædicationis Euangelii, fide nempe auditorum, illis verbis: *Ne fides vestra consistat*, quam fidem consentire negat cum illa sapientia hominum, quam alii tantopete urgebant, sed omni modo pendere ex potentia Dei, quæ in prædicatione Pauli maximè vigebat & exerebatur, illis verbis: *Non in sapientia hominum, sed in potentia Dei*, id est, cum fides auditorum præcipuè sit spectanda in prædicatione nostra, & ad illam rem sapientia humana nihil omnino potest conferre, sed sua natura pendeat ac fluat ex potentia Dei spiritualis; Officium meum præstiti: & simul etiam optimè consului vestræ saluti; dum inter prædicandum abstinui ab omnibus persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, & omnem operam dedi efficaci demonstrationi spiritualis potentiæ Dei.

Hæc est dependentia & Analysis. Sequitur Explicatio.

Ut ista autem melius & accuratius percipi possint, illa breviter explicabo, quæ in textu opus habent explicatione. Per *verba* igitur *persuasoria humanæ sapientiæ* intelligere debemus oratoriam illam facultatem, quam exercent homines in rebus humanis, & quæ vulgo hominum voluptatem quandam & levem titillationem animi adfert sine ullo solido fructu, 1. Cor. 1. 17. 1. Cor. 2. 6. Per *demonstrationem* autem *spiritualem & potentem* intelligitur efficax ille agendi modus, in quo nihil est, quantum per nostram infirmitatem fieri potest, quod non provenit ab ipso spiritu Dei, atque spiritualem potentiam exercet in cordibus hominum efficiendis. Fides verò tum dicitur consistere in sapientia hominum, cum circa res

ea res illas quæ fide sunt accipiendæ, leviter tantum afficiuntur homines propter eloquentiam & eruditionem eorũ quos audiunt: Sed in potentia Dei consistit, quando nihil respicit præter Deum ejusque verbum, & spiritualem efficaciam illam, quam Deus in verbo & per verbum unum exercet. Hactenus etiam expositio: sequuntur documenta.

DOCUM. I. In prædicatione Euangelii magna cura adhibenda est, non tantum ut vera illa sint quæ prædicantur, sed etiã ut recto modo proponantur, 1. Pet. 4. 11. *Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei.* non sufficit proponere eloquia Dei, nisi etiam eo modo proponantur qui convenit rebus divinis. Ratio 1. quia omnis oratio debet congruere rebus ipsis quæ tractantur. 2. quia in ipso modo prædicandi consistit magna pars officii prædicationis. 3. quia ex eodem etiam pendet magna pars fructus qui expectari potest apud auditores.

USUS I. Observanda est ista doctrina primò in hunc usum: Ne ministri putent se officio suo functos esse, cũ veritatem populo proponunt, nisi etiam omne studium adhibeant, ut illam eo modo proponant, quo debent: Sicut enim auditores non satisfaciunt suo officio, si audiant illa quæ vera sunt & bona, nisi eo modo quo debent. Luc. 8. 18. *Videte quomodo audiatis:* Sic neque ministri officio suo satisfacere possunt vera & bona proponendo, nisi etiam ita proponant, quomodo debent proponere.

USUS II. Hæc doctrina illum etiam habet usum, ut, cum tantum momenti in ipso modo concionandi ponatur, modum illum petamus & discamus ex S S. Scripturis. Hæc etenim sufficiunt, ut ex iis *homo Dei*, id est, minister verbi sit *perfectus & ad omne opus bonum perfectè instructus*, 2. Tim. 3. 17. neque ad ipsos ministros tantum & eorum officium spectat, sed etiam ad auditores, qui sunt seriò monendi & rogandi, ne alium ullum docendi modum in ministris desiderent aut expectent, quàm, quem Scripturæ ipsis commendant.

DOCUM. II. Artificium illud oratorium quod in rebus humanis sæpe laudatur, non est rectus modus verbum Dei prædicandi. Ratio 1. quia istiusmodi eloquentia nullum alium habet usum, nisi levis & carnalis delectationis, quæ à rebus divinis, ubi agitur de vita & morte æterna, procul debet abesse. 2. quia & pilicentis & audientium animos abducit, ita ut non possint penitus applicare sese ad rem ipsam quæ agitur. 3. quia non potest ad-

hiberi ad res divinas ornandas sine earum contumelia: qui enim levibus istiusmodi flosculis veritatem Dei commendare student, nihil aliud agunt, quam si ebur atramento candefacere conarentur, ut est in proverbio. 4. quia Christianos veros efficere non solet, sed hypocrytas tales, quales hic in textu describuntur, quorum fides consistit in sapientia humana.

USUS I. Ad redarguendam ministrorum eorum vanitatem, qui ex affectatione alicujus gloriolæ, conciones suas similes planè faciunt orationum vulgarium quoad modum agendi, dum hominum verbis, sententiis & dicendi modis utuntur, non tantum quasi hoc licitum ipsis esset aliquando, sed etiam quasi inde penderet maxima laus & fructus ipse concionis; neque possunt objicere hic, quod minimè hoc faciant gloriæ causâ, aut ut famam sibi conciliarent, sed ut faciliùs populo persuaderent quod habent ipsis ex verbo Dei proponendum; hoc enim à Pseudo-Apostolis illis ipsum quoque factitatum est inter Corinthios, qui idcirco *persuasoriis verbis* utebantur, vel saltem nihil aliud præ se ferebant, quàm ut melius populo persuaderent, quod tamen Apostolus ipsis vitio maximo vertit, & à semetipso rejicit tanquam indignum Christi ministro.

USUS II. Admonitionis ad populum, ne unquam indulgere velint istiusmodi vanitati carnali, ut in prædicatione verbi expectent ac laudent hujusmodi sapientiæ humanæ verba, qui enim ita sunt animati, ex eorum numero sunt de quibus agit Apostolus 2. Tim. 4. v. 3. qui *aures* habent *prurientes*, fuæ propriæ ædificationi ac saluti adversantur, & Dei regnum dum videri volunt quærere, hac in parte oppugnant. A ministro & populo hic utrinque graviter mutuò peccatur: præter enim alia incommoda hæc quæ minister talis sua vanitate infert Ecclesiæ, hoc unum est gravissimum; quod veram, simplicem ac genuinam Euangelii prædicationem faciunt à populo contemni, sicut isti Pseudo-Apostoli suâ fucatâ eloquentiâ effecerant, ut Pauli prædicatio apud multos esset contemtui: Sic etiam ex adverso populus, dum illum concionandi modum habet in admiratione, illud efficit, ut infirmiores quidam ad eundem modum sese accommodent, quasi puderet ipsos simplicitatis Euangelii Christi, cum tamen Apostolus hoc in loco, non tantum agnoscit suam simplicitatem in prædicatione Euangelii, sed & præ se fert, & profitetur tanquam virtutem singularem, quia scilicet non pudebat ipsum Euangelii Christi. Rom. 1. 16.

DOCUM.

DOCUM. III. Optimus prædicandi modus est ille, quo spiritualis potentia maximè demonstratur. Colligitur hoc ex illis verbis, *sed in demonstratione spirituali.* Ostenditur hoc ipsius Christi exemplo, Matth.7.29. *docebat ut habens authoritatem & non ut scribæ.* Deinde Joh. 7. 46. *nunquam locutus est homo ut homo iste,* Actor. 6. 10. *Sed nequiverunt obsistere sapientiæ & spiritui per quem loquebatur,* Matth.10. 20. *non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri est qui loquitur in vobis.* Ratio 1. quia totum illud quod agitur per ministerium verbi est opus spiritûs & potentiæ Dei. Cum igitur ministri sint in isthoc opere organa spiritûs Dei potentis, eorum perfectio in eo consistit, si quam maximè exprimant virtutem causæ principalis. 2. quia verbum Dei non est efficax, nisi quatenus virtute spiritûs comitante fit quasi spiritus, brachium & potentia Dei. Joh.6.63. *Verba quæ ego loquor vobis spiritus sunt & vita sunt.* Esa. 53. 1. *Quis credit prædicationi nostræ, & brachium Iehovæ in quo revelatur.* Rom.1. 16. *Euangelium potentia Dei est cuivis credenti.* 3. quia usus etiam est prædicationis verbi *destruere munitiones spirituales, quæ dirui non possunt nisi per arma spiritualia & divinitus valida,* 2.Cor.10.4.5. Hoc Documẽtum sic illustrari potest. Servator noster cum discipulos misit ad prædicandum, non dicitur illos misisse ullos lentos, molles & mitiores, qui Euangelium quasi canticum quoddam proponerent hominibus, sed dicitur omnes misisse plenos spiritu, & quibusdam singulariter imposuit nomina *filiorum tonitruum,* Marc.3.17.

USUS I. Observanda est ista doctrina primò omnibus ministris verbi divini, ut precibus suis apud Deum impetrent sibi spiritum & potentiam Euangelio dignam. Act.4.29.Eph.6.19.20.

USUS II. Observanda est etiam omnibus fidelibus & auditoribus verbi divini, ut ita comparent sese ad audiendum verbum Dei, ut in eo percipere possint afficaciam spiritûs & potentiæ divinæ, 1.Thess.1.5. Longè enim alia est ratio audiendi verbum Dei, & orationem aliquam humanam auscultandi: Homines enim perorantes audimus tanquam judices, pro arbitrio nostro statuentes, utrum ad eorum sententiam accommodare nos velimus nec ne; sed Dei verbum attendere debemus, non tantùm ut supremi nostri Domini edictum, sed etiam ut medium efficax, per quod Deus in cordibus nostris salutem nostram operatur.

DOCUM. IV. Primarius ille scopus qui spectari semper debet in prædicatione verbi & in prædicandi modo, est audito-

rum

rum fides. Colligitur hoc ex versu 5. *Ne fides vestra consistat, &c.* Hoc autem ita non debet intelligi, quasi nihil pro concione dicendum esset de aliis virtutibus aut vitiis, aut de lege ipsa; sed quia Christus ipse solus prædicandus est, & cætera omnia vel quatenus ducunt ad Christum, vel quatenus ab eo dependent, & sic etiam fides quâ Christus recipitur præcipuè spectatur & inculcatur in prædicatione Euangelica, & cætera omnia, vel ut viam faciunt ad fidem, vel, ut fluunt ex fide. Rom. 10. v. 17. Gal. 3. 2. v. 5. Ratio I. quia salus hominis est finis ministerii: Salvamur autem per fidem, Eph. 2. 8. *Gratiâ enim servati estis per fidem.* II. quia Christus præcipuè proponitur in Euangelii prædicatione, ut ab auditoribus recipiatur ad salutem: recipitur autem per fidem, Joh. 1. 12. III. quia verbum nobis prædicatur, ut adferat nobis spiritualem vitam: *Iustus autem ex fide vivet*, Rom. 1. 17.

USUS I. Ad ministrorum omnium informationem, ut instanter & iteratò inculcent apud populum illa, quæ ad vitam fidei maximè pertinent.

USUS II. Pertinet ad auditores omnes fideléſque monendos, ut nihil magis quærant aut expetant in concionibus, quam ut earum ope ædificari possint in fide. Debet igitur religiosus auditor verbi ad omne verbum Dei exsuscitare in semetipso fidem suam, prout à Deo vocatur in illo verbo, & prout habet occasionem suppeditatam.

DOCUM V. Fides vera non potest consistere in sapientia hominum: quod sic est accipiendum, ut intelligatur, sapientiam illam humanam neque principalem esse causam fidei, neque administrantem aut adjuvantem, prioris cap. v. 19. ex Esa. 29. 14. Ratio 1. quia fides est spirituale & supernaturale donum Dei, à naturalibus igitur causis non potest pendere. 2. quia humana sapientia est *inimicitia adversus Deum*, respectu perversitatis illius quâ involvitur, Rom. 8. v. 7. vel saltem vacua est eorum omnium quæ sunt spiritus Dei, etiam perversitate illa remota, 1. Cor. 2. 14. 3. quia fidei finis & usus est sapientiam omnem humanam abnegare: quatenus est perversa, & transcendere, quatenus est imperfecta. Qui autem ædificant aliquo modo super sapientiam humanam, similes sunt *viro illi fatuo, qui ædificaverat domum suam super arenam*, Matth. 7. 26.

USUS Admonitionis: tum adversus ministros, tum adversus auditores, ut oculos & animos suos avertant ab omni eo quod est humanum in rebus divinis.

DO-

DOCUM VI. Potentia Dei est vera causa & fulcrum fidei. Per potentiam autem Dei intelligere debemus potentem illam efficaciam spiritûs, qui exeritur per verbum & cum verbo in cordibus fidelium, Eph.1.v.19. & c.3.v.7. Col.2.v.12. Ratio 1. quia ingeneratio fidei est exsuscitatio hominis à spirituali morte ad vitam spiritualem, atque adeo requirit virtutem omnem potentem. 2. quia hostes fidei ac salutis nostræ, non possunt superari vel propulsari, nisi à potentia Dei. 3. quia per fidem tendimus & elevamur ad Deum ipsum, ad Deum autem nemo potest accedere, nisi per potentiam ipsius Dei.

USUS I. Admonitionis: primò, ut potentiæ Dei perpetuò fide nostra innitamur. 2. ut non *formam* tantùm *pietatis* habeamus, sed & potentiam ac vim ejus exprimamus, 2. Tim.3.5.

USUS II. Consolationis omnium fidelium, quia fides ac spes ipsorum nunquam falluntur, si modo sit vera & solida, quia nituntur potentia Dei, quæ nunquam potest deficere.

GUILIELMI AMESII

CONCIO SECUNDA,

in

Locum Matthæi cap. 6.

Vers. 33. *Sed quærite primò regnum Dei, & Justitiam ejus, & ista omnia adjicientur vobis.*

DOminus noster Jesus Christus postquam avocaverat suos ab inordinata cura circa res corporales, instituit eos his verbis in sua cura rectè & ordinatè dirigenda, 1. Quia unujus ordinationis defectus est causa illius inordinatæ curæ. 2. Quia hæc ordinatio tollit illam inordinationem. 3. Quia hæ res illa eadem quantum satis est obtinentur, quæ inordinata cura quæri solent ab hominibus mundanis. Connexio horum verborum indicatur illa particula *sed*, oppositionem harum curarum denotante. Ad rectam verò curæ nostræ directionem proponi ut

& com-

& commendatur nobis, 1. Præcipuum & unicum ejus Objectum, pietatis nempe vel Theologiæ praxis, quæ declaratur per suas partes, id est, fidem suam & obedientiam, tali fidei congruentem, *regnum Dei & Justitiam ejus*. 2. Actus quo ferri debemus in illud objectum, intensissimum nempe studium & appetitus, illo verbo, *Querite*. 3. Gradus hujus actus, quod debeat esse summus. 4. Ratio impellens & movens ad hoc officium, quæ petitur à consequenti ejus adjuncto, suppeditatione nempe omnium aliorum necessariorum. *Et ista omnia adjicientur vobis.*

Explicatio Terminorum.

1. *Regnum Dei* est status ille spiritualis, ad cujus participationem vocantur homines per dispensationem Dei in Christo.

2. Status iste vocatur regnum Dei propter excellentiam quandam singularem, quæ non in dispensatione ejus à parte Dei & Christi tantùm, qui sunt authores & gubernatores ejus, sed etiam in illius dispensationis fructu, qui inde in omnes hujus status participes redundat, qui ita sunt hujus regni subditi ut etiam aliquo modo sint reges, Apoc. 1. 6.

3. In ipsa dispensatione singularis apparet excellentia, tam quoad regem Deum & Christum, inde regnum Dei & Christi vocatur; quam quoad bona illa quæ communicantur, unde regnũ gratiæ, gloriæ, & cœlorum vocatur; & etiam quoad modum scilicet regiminis & subjectionis, unde regnum Justitiæ, lucis & pretum vocatur, Claves habens spirituales quibus clauditur aliis & aliis aperitur, Sigilla quibus omnia privilegia obsignantur, & ejus omnimodam civium subjectionem tam quoad animos, quam quoad corpora eorum. Quæ administratio per verbi prædicationem, Ecclesiæ constitutionem, sacram administrationem, & Ecclesiasticæ disciplinæ procurationem, metonymicè etiam vocatur Regnum Dei.

4. Hæc autem omnia quia per fidem solam efficaciter & salutariter participantur, idcirco regnum Dei, prout à nobis participatur hic in vita, unum & idem est cum fide.

5. *Justitia ejus*, sive intelligatur de Justitia Dei, sive de Justitia regni Dei, unum & idem est hoc in loco cum illa Justitia quæ opponitur Pharisæorum justitiæ, cap. 5. 20. & in eadem hac concione prolixiùs explicatur de eadem justitia ac obedientia Deo præstanda.

6. Qua-

6. *Quærere*, quamvis ſpiritualiter explicatur, accipitur pro omni voto, affectu, ſtudio, & conatu ferri in hoc vel illud, tanquam in rem ſummè neceſſariam & ſummum noſtrum bonum. Quærimus enim ſpiritualiter deſiderando, inveſtigando, precando, & conando, ut conſequamur illud quo caremus. Apparet ex verſ. 31. 32. Ubi ſolicitum eſſe de re aliqua, & eandem quærere accipiuntur eodem ſenſu.

7. *Primo quærere*, non neceſſariò ad ſecundum aliquod ejuſdem generis refertur. Sic enim nullus eſſet primo genitus, niſi ſecundus naſceretur; ſed eſt ita quærere, ut nihil priùs aut pariter quæratur. Undè eſt ut non inſtituamur alia quærere ſecundò, ſed expectare tantùm ut à Deo nobis ſuppeditentur.

8. *Adjici* autem dicuntur alia, quia hîc non reputantur in ordine quærendorum, ſed tanquam leviora quædam ipſis adjungenda, ad infirmitatem noſtram in hac vita ſublevandam.

DOCUMENTA.

DOCUM. I. *Status fidelium in Eccleſia Chriſti eſt regnum Dei.*

Colligitur ex his verbis, *Regnum Dei.*

RATIO I. Quia regimen hic exercetur divinum, & ordinatio rerum omnium maximè perfecta, Pſal. 96. 10. 13. rectiſſima, NB. & 99. 4. II. Quia in hoc regimine omnia pendent ex authoritate & ſolius Dei virtute, tanquam unici Regis & legiſlatoris, Jac. 4. 12. III. Quia ſubjectio & obedientia illa, quæ in iſtho c regno exercetur, eſt maximè voluntaria, Pſal. 47. 10. IV. Quia divino modo hic omnia diſpenſantur, non viribus & conſiliis humanis, ſed per ſpiritum & verbum Dei. Zach. 4. 6. V. Quia per hanc diſpenſationem Deus vindicat & liberat ſuos omni malo, Pſal. 47. ult. verſ. 48. 12. Luc. 1. 71. 74. VI. Quia per eandem diſpenſationem fidelibus non tantum intenditur, ſed etiam certiſſimè præſtatur omne robur, pax, beatitudo, Pſal. 99. 111. 29. 11. Luc. 1. 79.

USUS. I. *Informationis*, Ne ſecundum externam ſpeciem, ſed veritatem hanc judicemus, de Eccleſiæ & omnium fidelium ſtatu tanquam verè beato. Pſal. 146. 5. 10.

II. *Admonitionis*, Ne inordinatè vivamus ſecundum cupiditates noſtras proprias, ſed prout convenit regno Dei, Pſal. 93. 1. 5. Coloſſ. 1. 10.

III. *Exhortationis*, Ut cum fiducia erigamus animos noſtros ad Deum

ad Deum in Christo tanquam ad regem nostrum omnipotentem ac fidelem, qui liberabit suos ab omni malo & omne bonum ipsis communicabit, Psal. 97. 1. 8.

DOCUM. II. *In regno Dei Iustitia regnat*, 2. Pet. 3. 13.

RATIO I. Quia rex ipse hujus regni est rex Justitiæ, Ebr. 7. 2. II. Quia regni dispensatio tota tendit ad demonstrationem Dei justitiæ, Rom. 3. 25. 26. III. Quia leges hujus regni sunt ipsa Justitia, Rom. 6. 13. 16. 18. 19. IV. Justitia est necessaria conditio hujus regni, quia sine justitia nemo est hæres regni Dei, 1. Cor. 6. 9. V. Omnes hujus regni cives fiunt omni modo quo fieri potest Justitia Dei, 2. Cor. 5. 21. Eph. 4. 24. VI. Regni hujus finis demonstratio & essentialis perfectio, est in justitia, Luc. 1. 76. Rom. 14. 17. VII. Fructus hujus regni consistunt in justitia, Matth. 21. 43. Esa. 5. 7. VIII. Corona denique hujus regni est corona justitiæ, 2. Tim. 4. 8.

USUS *Redargutionis*, Adversus eos qui primi volunt haberi in regno Dei, & tamen justitiam ejus non sectantur.

DOCUM. III. *Regnum Dei & Iustitia debet ab omnibus hominibus quam collato studio queri.*

RATIO I. Quia non tantùm gloria Dei, sed etiam nostrum bonum summum in istis consistit; hinc thesaurus vitæ, & gemma pretiosa dicitur, Matth. 13. 44. II. Omnibus hominibus in hac vita vel ex toto vel ex parte desunt, Sophon. 2. 3. 2. Pet. 1. 1. v. 8. III. Vocamur à Deo ad hoc regnum & justitiam ejus quærendam, 1. Thess. 2. 12. Act. 26. 18. IV. Per istam vocationem appropinquat ita, & offertur nobis regnum Dei, ut non possit negligi sine contemptu Dei, & horrendo Dei judicio inde secuturo, Luc. 10. 11. V. Qui sunt extra hoc regnum Dei, subjiciuntur regno tyrannico peccati, tenebrarum, & mortis.

USUS *Exhortationis*, Ut missis factis illis omnibus, quæ à mundanis hominibs tam avidè quæruntur, spiritualia hæc bona proponamus nobis unicè quærenda, & hoc propositum in animis nostris quotidie renovemus, & magis magisque confirmemus.

QUÆSTIO. *Quid faciendum est ut regnum Dei quæramus?*

RESP. I. Sensum vivum debemus habere nostræ indigentiæ spiritualis: nemo enim quærit quod vel putat se habere, vel quod putat se non opus habere, Osæ. 5. 15.

II. Justam æstimationem debemus nobis comparare regni hujus Dei,

jus Dei, quam sit pretiosum in se & nobis necessariũ, Matt. 13. 14.

III. Ex istis principiis excitare debemus in cordibus nostris appetitum ardentem, seu desiderium hujus regni consequendi instar famis & sitis, Luc. 2. 25. 38. Luc. 23. 51. ex isthoc desiderio fluunt fervidæ preces. Petere autem & quærere unum idemque sonant, Matth. 7. 7.

IV. Clavem hujus régni, qua nobis aperitur, comparare debemus, per veram & solidam cognitionem Euangelii, Matth. 24. 14. Luc. 11. 52.

V. Virtute hujus clavis, non exterius tantùm januam hujus regni debemus pulsare, sed ingredi etiam in ejus possessionem per fidem, Matth. 23. 13.

VI. Ut in hoc ingressu omnia impedimenta superemus, omnem conatum possibilem cum zelo debemus adhibere, quod per vim & violentiam perrumpendum nobis est in illud regnum, aut violenter est rapiendum, Matth. 11. 12. Luc. 16. 16. Joh. 6. 27. Huc spectat quod omnia debemus deserere & omnia vendere, & odio quodam habere, quæ impediunt hujus regni possessionem, quamvis aliàs charissima nobis fuerint, Matth. 13. 44. Luc. 14. 26.

VII. Ut in isto regno permaneamus, leges ejus observare debemus cum omni religione, Hebr. 12. 28.

VIII. Per totam vitam id agere debemus, ut de die in diem ampliorem & pleniorem hujus regni acquiramus possessionem, 2. Pet. 1. 11.

IX. Regnum hoc Dei non solum in nobismetipsis, sed etiam in aliis debemus promovere, tueri, magnificare & amplificare; idque primò & præcipuè propter gloriam Dei, hoc enim significatur ista phrasi formaliter, *Quærite regnum Dei.*

X. Fit autem hoc primò precando, ut regnum Dei adveniat, & magis magisque promoveatur. Secundò, regnum hoc Dei pro facultate nostra & vocatione & occasione prædicando, Matth. 10. v. 7. Actor. 8. 4. Tertiò admonendo, exhortando & acuendo alii alios ad vitam illam, quæ convenit Deo & regno ejus, Col. 3. 16. Hebr. 3. 13. 10. 24. 25. & 12. 15. 16. Quartò, certando pro virili adversus hostes hujus regni, Jud 3. Quintò, operam omnem navando, ut illa quæ pertinent ad hoc Regnum Dei promoveantur: Rom. 16. 1. 26. 9. 10. Ubi commendat Apostolus Phoeben sororem, *Vt excipiatis*, inquit, *eam in Domino convenienter sanctis, & adsit is ei quacunque in re.*

DOCUM. IV. *Regnum Dei non tantùm quærendum est, sed & primò omnium quærendum.*

Quod sic intelligendum, ut primum locum habeat in nostra cura, 1. Quoad ordinem naturæ, quia non debet regnum Dei referri ad alia ut subordinatum illis, sed omnia alia ad illud debent referri. 2. Quoad ordinem dignitatis, quia debet quæri sub ratione primi & ultimi boni. 3. Quoad ordinem temporis, quia omnia alia debent istis postponi. 4. Quoad ordinem gradus vel intentionis, quia majori fervore atque intentione animi debet quæri regnum Dei, quam alia quæcunque.

USUS *Redarguitionis*, Adversus præposteros mores eorum, qui vel totos se dedunt temporalibus quærendis, vel illis saltem præcipuam curam impendunt, quod nihil aliud est, quam umbram fugientem boni prensare, substantia neglecta.

DOCUM. V. *Illis qui regnum Dei quærunt primò, adjicientur hujus vitæ necessaria.*

RATIO I. Quia pietas habet promissionem hujus vitæ & etiam futuræ, Psal. 37. 4. Hagg. 2. 19. 20. II. Quia benignitas illa Dei quæ dedit nobis summum bonum, non negabit nobis hæc minuta. III. Quia temporales omnes benedictiones quatenus accidentales fluunt ex benedictione spirituali illa, & eidem subserviunt.

QUÆSTIO. *Quomodo fit quod fideles sæpe destituantur necessariis.*

RESP. Quia per accidens contingit, ut illa destitutio magis aliquando faciat ad regnum Dei & justitiam ejus, vel in ipsis vel in aliis promovendam. Hoc igitur non repugnat promissioni divinæ, vel votis deliberatis fidelium, quibus omnia temporalia regna Dei subordinantur.

USUS I. *Consolationis*, Adversus metus indigentiæ.

II. *Directionis*, Quomodo per fidem pendeamus à Deo etiam circa temporalia, quærendo scilicet Regnum Dei & Justitiam ejus.

CON-

GUILIELMI AMESII
CONCIO
TERTIA,

in

Locum Johan. cap. 17.

Vers. 3. *Hæc est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.*

PArticula *hæc* est orationis illius maximè solennis, qua oblationem sui ipsius jam animam depositurus consecravit Dominus noster Jesus Christus, in illa enim petit inprimis à Patre suo illustrationem gloriæ suæ, sub qua comprehenditur manifestatio mysterii personæ, adventûs & redemptionis ejus. Hoc autem petit primò intuitu finis, ut Patris nempe gloria ab ipso possit illustrari, v. 1. Secundò, ex consideratione muneris, sive officii sibi impositi, quod utrumque ex æquitate, & ratione paritatis postulavit, utscilicet Filius à Patre, & Pater à Filio glorificaretur, verbo *Sicut*. Quia alia ratio non erat ad muneris hujus finem pertingendi quam communicatio vitæ æternæ iis præstanda quibus erat præparata, v. 2. Necessarium autem connexum glorificationis hujus tam Patris, quam Filii, cum hac vitæ æternæ communicatione declarat Dominus ex natura vitæ ipsius æternæ, quæ istis verbis declaratur talis esse, ut ad eam necessariò requiratur clarificatio Filii, ut ille clarificet Patrem, & tam Filius quam Pater glorificetur ab hæredibus vitæ æternæ. Continetur igitur his verbis descriptio vitæ æternæ quædam, 1. quoad actum ejus primarium, quod consistat in cognitione Filii, aut fide. 2. quoad objectum hujus actus, quod duplex statuitur; ultimum scil. Deus, prout verus Deus & solus est, & medium seu subordinatum, Filius nempe Dei, prout missus est à Deo Patre & Jesus Christus factus: ex quibus apparet necessarium esse ad vitam æternam ut Pater glorificet Filium, trahendo sc. homines ad cognitionem & fidem ipsius, & ut Filius glorificet Patrem, eosdem deducendo ad unionem & communionem habendam cum Patre, simul autem uterq; glorificetur per fidem ab ipsis, qui vitam æternam sunt victuri.

Ut sensus iste clarior fiat explicandum, 1. Quid sit *vita æterna*. 2. Quid sit *cognoscere Deum Patrem & Filium ejus*. 3. Quo sensu Pater dicatur *solus verus Deus*. 4. Qua ratione Filius dicatur *missus Iesus Christus*.

I. *Vivere* dicitur illud, quod in se habet vim aut virtutem perfectiorum operationum edendi. Hinc vita notat, 1. Ipsum principium operationum perfectiorum. 2. Ipsas operationes. 3. Illam perfectionem quæ ex illis operationibus exurgit. Vita autem spiritualis, de qua in hoc loco agitur, hæc omni simul complectitur, sed immediatè & maximè propriè principium illud vitæ, quia hîc agitur de tota donatione vitæ, quam Christus præstat electis Dei, v. 2. Hæc autem donatio incipit à principii illius communicatione: hæc porrò dicitur æterna, quia non mortalis, sed perennis, quam nulla unquam mors sequetur.

II. Verba sensûs & perceptionis spirituali modo accepta, ut videre, audire, recordari, intelligere, & scire, notant in Scripturis non modo sensum aut perceptionem in mente, sed etiam affectum eidem congruentem in voluntate, una cum effectu ejus genuino, quod solet inde emanare. Inter ista verò tria præcipuè & propriè semper designatur affectus voluntatis; quia omnis perceptio intelligendi tendit ad illum affectum tanquam ad suum finem, & effectus fluit ab eo tanquam rivulus à suo fonte. *Cognoscere* igitur hoc & similibus locis, quamvis perceptionem intellectûs una cum via congrua suo modo complectatur, præcipuè tamen & directè designat fidem aut fiduciam voluntatis. Hanc explicationem tradit Christus ipse nobis, ubi dicitur, verè norunt & crediderunt. Ratio, quia hæc vera cognitio non est speculativa sed practica; & praxis cognitionis illius, qui novimus aliquid esse credendum, est credere.

III. *Solus verus Deus* dicitur Pater, quia ille est verus Deus cui omnes perfectiones & attributa Dei conveniunt, & nullus essentiâ diversus à Patre est eo modo verus Deus: non magis igitur hîc excluditur Filius, qui est unum cum Patre, Joh. 10. 30. ne sit verus Deus, quam excluditur Filius à cognitione sui ipsius, Matt. 11.27. aut quam excluditur Pater ne sit Filio æqualis, quando Filius dicitur Deus supra omnia benedictus, Rom. 9.5. Idem Apost. Joh. qui hæc scripsit intellexit hac forma loquendi nõ excludi Filiũ, quasi ille non esset verus Deus, quia Pater est verus Deus, ipse namq; expresé testatur ipsum esse verum illũ Deum, 1. Joh. 5.20.

IV. Fi-

IV. Filius Dei dicitur *missus* à Patre, quatenus ex decreto Patris prodiit à Patre, ubi dicitur ; est factus caro, Joh.1.14. Venit in mundum, Joh.1.36. sanctificatus & obsignatus ut exequeretur voluntatem Patris, Joh.6.27.38.

V. A speciali fine hujus missionis, qui fuit ut salutem & vitam daret credentibus, vocatur Jesus ; & à tota illa communicatione spiritûs, qua aptus & potens fuit ad istum finem consequendum, Christus, Act.10.38.

DOCUMENTA.

DOCUM. I. *Est vita quædam ad beatitudinem necessaria supra istam quam vivimus ex natura.*

Supponitur hoc in textu, dum vita viventibus quærenda proponitur & describitur talis, qualē nec natura præstat nec ratio docet.

RATIO I. Quia vita hæc, quam ordine naturæ vivimus, manifestè deficit in summi boni acquisitione. Neque enim desideriis nostris satisfacit, neque perfectum hominem reddit, neque denique perpetuitatem quandam habet illorum bonorum, quorum gustum aliquem nobis præbet. II. Quia non est spiritualis, spiritum hominis elevans ad unionem & communionem cum Deo, ad quem tamen quærendum fuimus creati, & aliquo modo tendimus adhuc ex ipsis principiis naturæ, & vocamur ab omnibus creaturis, Act. 17. 27. III. Quia vita hæc naturalis ex peccato variis modis miseriam, mortem & maledictionem habet admixtam & prædominantem.

USUS *Convictionis*, Adversus mundanos & carnales homines, qui sic acquiescunt in vita hac & mundanis ejus cupiditatibus, ut ad aliam non adspirent.

DOCUM. II. *Vita hæc, quam quærere debemus, est æterna.*

In textu : *Hæc autem est vita æterna.*

RATIO I. Quia hæc est vita animæ immortalis, quæ non potest beata reddi nisi ex vita immortali. II. Quia semen illud ex quo per spiritualem nostri generationem hæc vita derivatur est incorruptibile & manens in æternum, 1.Pet. 1. 23. III. Quia objectum ejus est æternum. Hæc enim vita vivimus Deo æterno. IV. Quia finis ejus est æternus. Idcirco enim ad istam vocamur ut in æternum Deum glorificemus, & gloriam ejus æternam participemus. V. Quia causæ ejus conservantes sunt æternæ, charitas nempe Dei Patris, intercessio Filii, & communicatio S. Sancti. VI. Quia debet hæc vita restitutionis nostræ in eo superare

perare vitam creationis, ut non sit, sicut prior fuit, caduca. Tum enim non magis bearet nos illa, quam ista quæ desinit in miseriam. VII. Quia essentialis proprietas est hujus vitæ, liberare nos à morte eamque superare.

DOCUM. III. *Vita hæc æterna consistit in conjunctione nostra cum Deo.*

